ANTIQUAE
BRITONUM SCOTORUMQUE ECCLESIAE

QUALES FUERINT MORES,

QUAE RATIO CREDENDI ET VIVENDI,
QUAE CONTROVERSIAE CUM ROMANA ECCLESIA
CAUSA ATQUE VIS,

QUAESIVIT

FRIEDERICUS LOOFS
LIC. THEOL. ET DR. PHIL.

LIPSIAE ET LONDINII
PROSTAT IN LIBRARIIS
GUSTAVI FOCK ET DAVIDI NUTT
NEUMARKT 41. 270 STRAND.
MDCCCLXXXII.

Argumentum.

Corrigenda.

pag.	lin.	pro:		leg.:
6	18	Loening I		L. II.
8	11	qua		quae.
10	9	a. d. 303		a. d. 363.
17	36	faciet		faciat.
20	35	Turonenis		Turonensis.
21	27	coneilio		concilio.
21	29	tonsura		tonsurae.
23	20	postalasse		postulasse.
28	2	p. 29		p. 219.
28	13	hodic		hodie.
30	18	cum		eum.
33	28	annatationes		annotationes.
35	1	XXV		XXXV.
36	32	VLIII		XLIII.
43	20	subsducuntur		subducuntur.
45	20	vero vero		vero.
47	32	Hiberniis		Hibernis.
48	25	tam		tum.
53	16	quarendum		quaerendum.
56	27	monaterium		monasterium.
59	15	Nordenhymbr.		Nordanhymbr.
68	45	p. 461		p. 471.
72	15	revisvisc.		revivisc.
76	12	qud		quod.
79	4	p. 316		p. 216.
79	8	dioccesim		dioecesim.

Bonifatium, Germaniae apostolum, pontificum Romanorum legatum, prohibuisse, quominus in Germania ecclesia constitueretur, quae tantum sui similis esset, ne ii quidem possunt negare, qui jure affirmant ecclesiam liberam temporibus medii aevi neque in Germania neque alibi potuisse exsistere. Nam inter omnes constat Bonifatium et, qui opus ejus excepit, Carolum Magnum fundamenta jecisse ecclesiae illius romano-catholicae, quae usque ad tempora Lutheri in Germania perduravit inconcussa. Qua de causa de Bonifatio recte non judicabunt nisi, qui quaesierint, qui fuerit in Germania ecclesiae status, antequam Bonifatius adventavit. Itaque cum in Germania ante Bonifatium et ipsis Bonifatii temporibus Scotos Britonesque peregrinantes evangelium praedicasse constet, iis, quorum interest sine odio et sine invidia de Bonifatio judicare, ante omnia quaerendum est, Britonum Scotorumque ecclesiae quales fuerint mores, quae ratio credendi et vivendi.

Eam ipsam ob causam jam Rettbergius de Bonifatio verba dicturus pauca de Britonum ecclesia disseruit (*Kirchengesch. Deutschlands* I, p. 317—324). Et quod tunc temporis opportunum erat, hodie necessarium esse nemo ignorabit, qui forte legerit, quae Ebrardus vestigia sequens Heberi (*Die vorkarolingischen Glaubenshelden am Rhein. 1858*) de Britonum Scotorumque ecclesia in lucem protulit (primum in Niedneri *Zeitschrift für d. histor. Theol. 1862 et 1863* et denuo in libro, qui inscribitur *Die iroschottische Missionskirche. 1873*). Qualem de Bonifatio Ebrardus tulerit sententiam, nemini credibile erit nisi iis, qui oculis quae Ebrardus (p. 454) scripsit inspexerint: Bonifatium, regni Christi inimicum, servum tenebrarum, longaevo vitae suae tempore in destruendo regno Christi peracto merito interfectum esse a paganis, quippe qui pagani non jam fuissent, si ille revera fuisset, qui nominatur, Germaniae apostolus. Quae sententia, etsi non nova est — Centuriatores enim Magdeburgenses simile judicium fecerunt —, tamen nova audacia ab Ebrardo prolata est. Nihilosecius commenticiam eam esse ita dilucidum est, ut qui paullo post de Bonifatio disseruit, Muellerus (*Boni-*

fatius. Eene kerkhistorische Studie. Amsterdam 1869, 70) nisi in una annotatione (II, p. 352 sqq.) de Ebrardo verba non fecerit. Sed negari non potest ipsum Muellerum in iis, quae nisus Rettbergio de Britonum Scotorumque ecclesia scripsit, novi quicquam non attulisse. Hoc minus probandum est, sed silentio praeterire Ebrardi figmenta Muellero utpote externo, licuisse libenter confiteor; eo magis Werneri fuisset in suo de Bonifatio libro (*Bonifacius, der Apostel der Deutschen, und die Romanisirung von Mitteleuropa. 1875*) Ebrardi sententiam examinare. Sed quanquam in praefatione eam quaerendi rationem, qua Ebrardus conjecturis nimis confisus usus est, recusavit, tamen in iis, quae sequuntur, justo plus Ebrardo fidem habuit eoque modo illius commenta in ipsam Bonifatii historiam introduxit. Itaque inprimis ipsi Wernero crimini dandum est, quod falsa Ebrardi de Scotorum Britonumque ecclesia opinio late jam diffunditur, neque silendum est etiam Wernerum, partim ab Ebrardo in errorem inductum partim justa in nostrae aetatis catholicos ira incitatum de Bonifatio ex aequo non judicasse. Quod eo magis lugendum est, quo plures assensi sunt illius sententiae. Ipsis enim viris doctissimis, qui volumina illa, quae inscribuntur *Realencyclopädie für protestantische Theologie und Kirche* iterum edenda curant, Werneri de Bonifatio judicium dignum esse visum est, quod divulgaretur.

Quae cum ita essent, examinandae Ebrardi de Britonum Scotorumque ecclesia sententiae laborem, quem nec Bussius (*Winfrid-Bonifacius ed. v. Scherer. 1880*) nec Fischerus (*Bonifatius. 1881*) suum judicaverunt, mihi subeundum esse putavi; ac quidem non ita, ut Celtorum ecclesiae historiam rerum scriptorum more prosequar, sed ita disputabo, ut adumbrandae Bonifatii historiae inserviam diluendis iis fictitiis, quae illi, cui nostra gens cognomen attribuit apostolo Germaniae, umbram faciunt.

Itaque cum opus aggrederer, aegre tuli, quod non solum apud nos Germanos raro de Britonum Scotorumque ecclesia disputatum est, sed etiam quod — quid mirum? — ii, qui alibi exstant, libri in nostratium ignoratione versantur. Nam ipse Hasius (*Kirchengeschichte. 10. Aufl. 1877 § 134*) librorum obsoletorum et inutilium plures enumerat, quam recentiorum. Obsoletum est, quod Muenterus, vir doctissimus, de veterum Britonum ecclesia disseruit in *Theol. Stud. u. Krit. 1833*, obsoleti et Lingardi, Lanigani, Schroedlii libri (Hase l. c.), inutilis autem est libellus, quem Greithius, episcopus Sangallensis, de antiqua Hibernorum ecclesia composuit (*Geschichte der altirischen Kirche. Freiburg 1867*). Sed summa laude efferenda est, quam Ebrardus non legit, Schoellii *de ecclesiasticae Britonum Scotorumque historiae fontibus* dissertatio (Berolini et Londini. 1851) eaque, quamvis

erroribus non careat, ut ipse auctor postea est confessus (Herzog R. E. 1. Aufl. 11, 201 sqq.), idonea, qua duce utantur omnes de ecclesiastica Britonum Scotorumque historia disputaturi. Neque Usserii *Britannicarum ecclesiarum antiquitatibus* (Dublini. 1639) adhuc carere possumus. *Concilia* autem *Magnae Britanniae et Hiberniae* a Wilkinsio 1737 collecta hodie consenuerunt, quia nova eaque optima exstat editio, cujus primi tomi Hasius mentionem fecit: *Councils and ecclesiastical documents relating to Great Britain and Ireland. ed. Haddan and Stubbs. Oxford. vol. 1. 1869; vol. 2, 1. 1873; vol. 2, 2. 1878; vol. 3. 1871.* Haec editio maximo usui mihi fuit non solum quia continet commentationem, brevissimam illam quidem sed doctissimam, de schismate inter Britones et Romanos, sed quia eorum quoque antiquitatis testimoniorum, quae lingua Celtica conscripta sunt, notitiam mihi comparavit. His doctrinae praesidiis, quibus accedebant, quae Plittius (in *Zeitschrift für Protestantismus und Kirche. Erlangen.* 1864) et Friedrichus (*Kirchengeschichte Deutschlands* II, 135 sqq.), Ebrardi commentationum censuram scribentes, perpaucis de nostra re disputaverunt, denique, quae Hertelius (*Kahnis, Zeitschrift für d. hist. Theol.* 1875, 396—454) de Columba Luxoviensi disseruit, et qui posteriorum temporum rationem habuerunt, Braunii de Culdeis libellus (*Bonn. 1840*) et Wattenbachii de Scotorum monasteriorum congregatione commentatio (in *v. Quast, Zeitschrift für christliche Archäologie.* 1. 1856), exornatus initio rem aggressus et totam studiis persecutus sum, antequam alios libros cognoscerem, quorum mentionem prius non inveneram. Forte enim inveni Loeningium (*Geschichte des deutschen Kirchenrechtes. II.* 1878. p. 411—447) Ebrardi sententiam examinasse brevi illa quidem commentatione sed omnium, quae in nostra gente de hac re conscriptae sunt per tres annos optima.[1] Eidem Loeningio debeo, quod cognovi Varini *études relatives à l'état politique et religieux des îles Britanniques au moment de l'invasion saxonne* (*Mémoires présentés par div. sav. à l'acad. des inscriptions et belles-lettres. 1. Serie, V Part. 1. 1857. p. 1 sqq*) et *sur les causes de la dissidence entre l'église brétonne et l'église romaine* (ibid. 2, 1858 p. 88 sqq.). Quarum commentationum prior minoris momenti est quam altera, sed utraque doctissima. Tamen ex utraque multum fructus non cepi partim

[1] Multo melior est et in suo genere perfecta Schoellii de ecclesia Celtica commentatio in Herzog-Plitt, R. E. VIII, 334—355, quam non suo loco editam negligentia quadam praetermisi, donec libellum meum perfeci. Tunc maximo cum gaudio illam legi, attamen, etsi in nonnullis Schoellius aliter sensit atque ego, non habeo, quod meis addam; integram potius malui legentibus offerre meam commentationem comparandam cum Schoelliana.

quia, quae profert, aliunde jam audieram partim quia alium atque nostrum Varinus sibi proposuit finem. Tota enim ejus commentatio altera eo spectat, ut Centuriatorum Magdeburgensium sententiam refutet cum examinans, num jure his sex rebus: 1) tonsurae forma 2) liturgia missae 3) odio in Romanos 4) baptizandi more 5) festi paschalis computatione 6) matrimonio clericorum — ecclesiam Britonum diversam fuisse a catholica censuerint, tum docens nullam unquam Britonibus cum Asia fuisse necessitudinem.[1] — Sed alio loco, ubi non speraveram, novi aliquid inveni, quod ad cognoscendam Scotorum ecclesiae naturam maximi momenti videtur esse: apud Harttungium (*Diplomatisch-historische Forschungen. 1879* p. 21 sqq.). Quanquam enim ea, quae pauca de Britonum ecclesia aliunde sumpsit — proh dolor ex Ebrardi quoque libro! — magni existimare non possum, tamen aliis hujus libri partibus multum debeo, neque omittam gratias agere Harttungio, qui (p. 22) omnes, qui de Britonum ecclesia exstent libri, enumerare conatus sit. Conatus est, nam complures eum fugerunt scriptores. Cum enim priore anno in lucem prodierit *Warren, Liturgy and ritual of the Celtic church. Oxford 1881*, tandem aliquando in hoc libro expletam ac perfectam librorum tabulam inveni nec non ex ipso libro fructum percipere potui. Sed mihi non contigit, ut omnes libros a Warrenio laudatos, ex quibus utilitatem, seram quidem illam, capturum me esse sperabam, adipiscerer. Toddii *Life of Saint Patrick* (*Dublin. 1864*), librum ab H. and St. et Loeningio frustra mihi commendatum, quia vel in ditissimis gentis nostrae bibliothecis deest, cum apud Warrenium quoque invenissem summis laudibus elatum, a bibliopola quodam Londinensi postulavi, sed omnia hujus libri exemplaria vendita esse comperi. Sed ut omittam, quibus uti mihi non licebat, usus sum praeter libros supra commemoratos in perficienda hac mea dissertatione etiam his duobus libris: priore Skenii libro doctissimo et uberrimo, sed fabulis nonnumquam nimis confiso (*Skene, Celtic Scotland. Edinburgh. vol. 1. 1876, history and ethnology; vol. 2. 1877, church and culture; vol. 3. 1880, land and people*) altero Brightii *Early english church history* (*Oxford. 1878*), in quo libro auctor scholas, quas de Bedae historia ecclesiastica coram juvenibus theologiae studiosis habuit, ita auxit, ut adumbrandae Britonum et Anglorum historiae ecclesiasticae non parvas utilitates praebuerit.

Alios denique, ad quos rarius provocavi libros et omnia veterum scriptorum testimonia suis locis commemorabo. Hoc loco nil reliquum est nisi ut viris illis doctissimis, qui biblio-

---

[1] Summam utriusque commentationis invenies apud *Montalembert, les moines d'occident.* III, 488—491.

thecis regiae Berolinensi et regiae Dresdensi et bibliothecae universitatis Gottingensis praesunt, gratias persolvam, quod nonnullos libros, qui in nostrae urbis bibliothecis desunt, eosque mihi omnium utilissimos mihi transmittendos liberaliter curaverunt, et ut a lectoribus petam, ut condonent, quod aliis libris Britannicis, utpote quos adipisci non potuerim, vi coactus uti omisi.

Haec de libris, qui adjumento mihi erant. Ipsius disputationis exordium ab Ebrardo fiat. Sententiae ejus summa haecce est: Britonum Scotorumque ecclesia, „culdeica“ jure nominanda, quia christiani Britannici et Scotici et nominabantur et erant Culdei i. e. viri dei, peregrinantium opera propagata per totam Galliam, Germaniam, Helvetiam paullo ante Bonifatii tempora mirum in modum ita florebat, ut una et spiritu et fide quin etiam jürisdictione, quippe quae universa abbatis Hiiensis provincia esset, evangelica ecclesia paene appellari posset, nam non solum libera erat jurisdictione papali eaque de causa respuebat errores romanos, sanctorum et reliquiarum cultum, honores virginitati habitos, communionem sub una, alia multa, sed etiam, quod majus est, omnes hujus ecclesiae sacerdotes, pares dignitate, uxoribus non carentes, justificationem ex fide et evangelicam vivendi rationem populum docebant. — Profecto gaudio esset nobis evangelicis, si res ita sese haberet, sed — proh dolor! tantum abest, ut haec Ebrardi sententia veritate nitatur, ut fere omnia, quae profert, falsa sint. Quod satis apparebit in eis, quae sequuntur, etsi permulta, quae contra Ebrardum conscripseram, typis exprimenda non esse censui, ne virum illum et canitiei ornamento et magna studiorum varietate et copia juventuti meae admodum venerabilem, plus quam fert necessitas, cogerer vituperare. Sed de nomine Culdeorum pauca praemittere juvat.

Culdei, quorum nomen XI^{mi}, XII^{mi}, XIII^{mi} saeculi temporibus saepissime occurrit in Hibernia et Scotia, tunc temporis erant clerici regulares, simillimi canonicis (Skene II, p. 277, 356 sqq.[1] cf. Braun p. 19), vel saltem tales esse debuerunt. Nam apud quarundam ecclesiarum Culdeos (ecclesiis enim ascripti erant earumque reditu, vel decimis fidelium vel praediorum fructibus, fruebantur) disciplina adeo collapsa erat, ut, ne dicam de aliis, etiam publice in matrimoniis vel cum concubinis viverent (Skene II, p. 356 sq.). Hac ipsa de causa oppressi sunt

[1] Skene II, p. 359: „*The community of the Culdees was originally a college of secular clergy, who lived together and submitted to a rule, the principal requirement of which was a common table*“ — „*they were analogous to secular canons.*“ *Reeves on the ancient churches of Armagh p. 21.*

et in Hibernia praecipue opera Malachiae archiepiscopi († 1148 cf. Schöll, Herzog, R. E. 1. Aufl. Art. Malachias 8, p. 749 et Art. Culdeer 3, p. 198) et in Scotia inprimis Davidis regis (1124—1153) et Roberti episcopi, illius aequalis, opera substitutis in eorum locum canonicis sub Augustini regula canonicali viventibus (Skene II, p. 384 sqq.). Tamen, etsi ejecti erant ex compluribus ecclesiis, in quibusdam paullo diutius privilegiis suis utebantur (Skene II, p. 399 sq. 404. 415 sqq.), nomen etiam XV^{mo} saeculo occurrit (Braun p. 10).

Verum enimvero his Culdeis nihil rei esse cum antiqua Scotorum ecclesia dicas. Atqui Ebrardus, qui opinatus legitima fuisse eorum matrimonia eos ipsos legitimos ecclesiae Scoticae sacerdotes fuisse putat, aliter censuit. Majorum suorum eos esse vestigia secutos affirmat, et ne omnino testimoniis careat haec opinio, jam illos Culdeos appellatos fuisse contendit. At ipsum testimonium testimonio eget. Sed longum est omnia falsa Ebrardi argumenta refellere (cf. contra Ebrardi commentationem in Kahnis Zeitschr. f. d. hist. Theol. 1875 p. 465 sqq. Loening I. p. 423 not. 1). Diluam, quo potissimum utitur, argumentum. Teste enim Ebrardo nomen Culdeorum in sermonem latinum conversum apparet, ubicunque in vitis sanctorum, qui vel ipsi in Hibernia nati sunt vel quibus cum talibus necessitudo fuit, sancti illi „viri dei“ appellantur. Atqui nomen virorum dei longe aliam vim habere, atque Ebrardus putat, inde jam manifestum est, quod Romanae quoque ecclesiae sancti ut ipse Bonifatius, Moguntinus, et Willibaldus, Eichstedtensis, in ipsorum vitis nonnumquam illo nomine appellantur, manifestius fit, si jure Skenio aliisque Britannis verbum Culdeorum aliter interpretandum esse visum est. De qua re ipsius Skenii (II, p. 251 not. 44) verba transscribere mihi liceat: „*Ceile*“ (Culdei enim sermone Celtico sunt Ceile-de vel Cele-de), inquit, „*as a substantive means litterally „socius“ „maritus“, but it has a secondary meaning, „servus“. Dr. Reeves in his work on the British Culdees adopts the secondary meaning, and considers that it is simply the irish equivalent of servus dei, which, he says, was the ordinary expression for a monk, and hence starts with the assumption, that the Ceile-De were simply monks. Ebrard* (de quo nisi hoc loco et p. 226 apud Skenium, nisi fallor, non fit mentio) *rejects the rendering by servus dei, and supposes, that it is the Irish equivalent of vir dei; but this is still more objectionable. Vir dei was a term applied to all saints of whatever class, and in the litany of Angus, who himself bore the name of Ceile-De or the Culdee* (ca. 800) *it is translated Fer-De, but in the glosses on the Felire* (= festilogium vel feriale) *of Angus the word Ceile is glossed Carait, or friend*“. Ipse Skenius quid sentiat de notione

Culdeorum explicari non potest, nisi pauca antea dixerimus de Culdeorum historia et natura. Culdei, quorum neque apud Bedam neque in Adamnani vita Columbae (de qua vid. infra) fit mentio, primum in Hibernia reperiuntur saeculo fortasse jam septimo (Skene II, p. 251; H. and St. II, 1, p. 118) certo octavo (H. and St. II, 1, p. 175) in Scotia non ante annum 842 (H. and St. II, 1, p. 118 et p. 147), neque potest dubitari, quin tunc hac notione significati sint monachi strictioris observantiae (H. and St. II, 1, p. 175, Skene II, p. 252) inprimis eremitae. Qui cum nonnumquam apud veteres appellati sint „deicolae", cujus rei testimonia invenies apud Skenium II, p. 238, Skenius verbum „Ceile-De" idem esse putat, quod deicolae, eademque de causa eremitas in Hibernia „Ceile-De" sive Culdeos appellatos esse opinatur (II, p. 251). Profecto Skenius nobis persuaderet, nisi haec sententia ejus arctissime esset conjuncta cum altera, quam falsam esse equidem persuasum mihi habeo. Perperam enim ipsam eremitarum vivendi rationem saeculo demum septimo in Hibernia percrebuisse docet (cf. infra). Quae cum ita sint, quae sit nominis Culdeorum origo et principalis verbi significatio, in medio relinquendum est, donec tenebrae illae, quibus inde ab anno 700mo usque ad annum fere 1000^{mum} ecclesiastica Scotorum historia obscuratur, removeantur. Nobis hoc dolendum non est, nam de Culdeis omnino verba non fecissem, nisi perperam Ebrardus hoc nomine appellasset omnes prioris quoque temporis Scotos, patribus, ut ita dicam, delegans, quod de solis filiis constat. Quae perquirendae antiquitatis ratio quam lubrica et dubia omnino sit, hoc ipso loco sponte apparet. Nam Culdeos, quos saeculo octavo eremitas fuisse invenimus, eosdem tribus vel quatuor saeculis post canonicos fuisse historia docet. Quod unde factum sit, Skenius, cum certa de temporibus intercedentibus testimonia desint, ex fabulis enucleare conatus est (II, p. 254. 276), equidem malo fateri nescire nos, quod nesciamus. Nescimus igitur, quando et quibus rebus commoti Culdei canonicalem amplexi sint vitam, nescimus quoque, quando et quibus de causis disciplina apud eos collapsa sit. Forsitan bellis, quae Scotis cum Normannis gerenda erant, factum sit, ut Scotorum ecclesia temporibus Scti Bernardi Claravallensis nonnihil alia videatur esse, atque ineunte aevo medio. Nam non soli Culdei naturam mutaverunt sed etiam, ut infra saepius videbimus, mores et ritus alii occurrunt saeculo duodecimo, alii prioribus temporibus.

Quae cum ita sint, luce clarius est quaerentibus nobis, quales fuerint antiquae Britonum Scotorumque ecclesiae mores, quae ratio credendi et vivendi, saeculi undecimi et duodecimi rerum rationem amplius habendam non esse; immo solis certis

et firmis aequalium illorum temporum testimoniis usi quaestionem nostram conemur dissolvere. Qua in re temporum seriem observare malui, quam accumulare in unum locum res easdem illas quidem sua ipsarum natura sed diverass et temporibus et locis. Hac ipsa de causa et quia, ut postea apparebit, res ipsa cogit, de Britonum ecclesia et de Scotorum separatim est dicendum. Primum igitur

Britonum ecclesia

qualis fuerit, inquirentibus nobis tres aetates distinguendae videntur esse, prima quidem primordiorum usque ad annum circiter 450, secunda, qua magis nostra quaerentium causa, quam ipsa re ansam praebente sejungitur a tertia, inde ab anno 450 usque ad annum, quo Augustinus in Britanniam venit, i. e. 597, tertia denique usque ad annum circiter octingentesimum. Primum igitur

de primordiorum aetate

disserendum est. Primordia ipsa quae fuissent, res esset facilis ad cognoscendum, si sciremus, unde fuissent id est si exploratum haberemus, a quonam fides christiana in Britanniam allata esset. Sed de hac re vix aliquid pro certo affirmari potest. Gildas enim, antiquissimus rerum Britannicarum scriptor, qui natum se esse ipse testificatur[1] eodem anno, quo obsessio Badonici montis facta sit (cf. *Lappenberg, Geschichte von England. 1834. 1. Bd. p. 104*) i. e. anno 516mo vel 520mo (vid. Schöll p. 3; Stevenson, opera Gildae. 1838 p. VIII sqq.) vetustiora scriptorum monumenta „*si qua fuerint*" non comparere queritur (historia § 4 ed. Stevenson p. 13). Ipse cum ne sermone patrum quidem quicquam de origine ecclesiae Britannicae memoriae proditum esset, omnia, quae de antiquissimis temporibus enarrat, mutuatus est ab Eusebio (Schöll p. 9 sqq.). At is, a quonam fides christiana in Britanniam allata esset, ipse nesciebat. Neque ex iis, quae Gildas de suis addidit, quicquam colligi potest. Nam iis, quae refert (hist. § 10 p. 17) de Albano Verolamensi et de Aarone Julioque, urbis Legionum civibus, in Diocletiani persecutione martyrizatis, equidem (aliter Brightius p. 8) haud scio an fides deneganda sit. Persecutionem enim Diocletianam Britanniam non attigisse ex aliorum testimoniis (quorum seriem videas apud H. and St. I, p. 6) constat. Quae cum ita sint,

---

[1] Ebrardus de Gilda omnino nihil dixit nisi eum circa annum 450^{mum} (sic!) in Cambria vixisse (p. 10).

Schoellius, cum (p. 11) ex eo, quod illi martyres Verolamii (Verulam) municipio Romano et in urbe Legionum (Caerleon in Cambria) supplicio affecti esse traduntur, suspicandum esse censeat oppida illa Romana incunabula quasi fidei christianae fuisse, nimiam mihi videtur fidem habuisse fabulis. Ex Gilda ergo nihil comperimus de iis, qui primi Britonibus evangelium praedicaverint, neque plura ex Bedae scriptis. Omissis enim, quas de Lucii regis conversione temporibus Eleutheri episcopi Romani facta enarrat, fabulis (vid. H. and St. I, p. 25 sq.; Schöll p. 22 sq.) restat narratiuncula de Germano Autissiodorensi et Lupo ejus comite Pelagianae haeresis eradicandae causa a Gallicana quadam synodo bis in Britanniam missis (h. e. ed. Stevenson op. hist. Bedae I, lib. 1, cap. 17 § 39). Sed cum Beda omnia, quae narrat, hauserit e fabulosa St. Germani vita (Schöll p. 25 sq.), Prosper Aquitanicus testis fide dignior est habendus. Qui cum Germanum, ad actionem Paladii diaconi a papa Cölestino missum esse tradat (chronic a. dom. 429. opera ed. Bassani 1782 I, p. 401; H. and St. I, p. 16) nil restat in hac narratione, quod antiquam Britonum ecclesiae cum Gallicana familiaritatem fuisse comprobet. Familiaritatem illam fuisse nihilominus constat. Nam nonnulli Britonum episcopi anno 314mo concilio Arelatensi interfuerunt (H. and St. I, p. 7. cf. Bright p. 9 sqq.). Quod, si hoc concilium centum annis ante fuisset, alicujus momenti esset, sic nullius. Conjecturis ergo relinquitur locus. Muenterus et multi ejus aequales et ipsi jam Centuriatores Magdeburgenses (Cent. II, c. 2, fol. 9) fidem christianam ex Asia minore in Britanniam allatam esse opinati sunt. Quod, si comprobari posset, non neglegendum esset in dijudicandis ecclesiae Britonum moribus. Sed quaerentibus nobis, quid huic Muenteri opinioni adminiculo fuerit, apud ipsum nil occurrit nisi computatio festi paschalis, qua Britones utebantur. At Britones nequaquam cum Quartodecimanis consensisse, jam pridem viri docti docuerunt (Varin mém. II, p. 295 sqq. cf. Ebrard p. 19—78). Immo eam opinionem, qua altera illa Muenteri nitebatur, hanc scilicet: Britonum ecclesiam primordiorum jam temporibus alia usam esse computatione festi paschalis ac Romanam, commenticiam esse facile comprobari potest. Vetustiorum enim scriptorum testimonia audienda nobis sunt posteriorum ratione non habita. In quibus Constantinus imperator haec scripsit in epistula ad ecclesias ap. Eusebium vit. Constant III, 19: *idcirco id aequum rectumque esse omnes judicaverunt, . . . ut, quod in urbe Roma perque omnem Italiam . . . Gallias, Britannias . . . concordi sententia observatur id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur . . . atque ut summatim ac breviter dicam, placuit*

communi omnium judicio, ut sanctissimae paschae festivitas uno eodemque die celebreratur.

Accedunt Hilarii Pictavensis verba haecce: *dilectissimis et beatissimis fratribus et coepiscopis provinciae Germaniae primae . . . et provinciarum Britanniarum episcopis Hilarius. — . . . . . gratulatus sum . . . vos et illaesos ab omni contagio detestandae haerescos perstitisse* (de synodis, Prolegom. et. § 2. op. ed. Bened. I. p. 1149 et 1151) et Athanasii ad Jovian. imp. (syn. ep. ecc. Alex. a. dom. 303 op. ed. Paris. I, p. 781) haecce: . . . *hanc fidem patres qui Nicaeae convenerunt confessos fuisse eamque suffragio suo comprobare universas totius orbis ecclesias, nempe Hispaniae, Britanniae, Galliae et* . . . Quibus patrum illorum orthodoxorum, utpote qui rerum Britannicarum non ignari fuerint, verbis maximam fidem adjungendam esse inde apparet, quod teste ipso Athanasio anno 347 concilio Sardicensi (H. and St. I. p. 8) et teste Sulpicio Severo anno 359 concilio Ariminensi (H. and St. I, p. 9) nonnulli Britonum episcopi adfuerunt. Ergo temporibus Athanasii ecclesia Britonum a communione ecclesiae catholicae neque fide neque moribus dissentiebat. Gildas igitur (hist. § 12. p. 19), quem Beda sequitur (h. e. 1, 8 § 22), cum dicit Arianam perfidiam transmarina vomentem venena fratres fecisse sejungi, videtur rem verbis auxisse (cf. Bright p. 12).

Pelagiii autem doctrinae qui faverent, paullo post in Britannia fuisse permultos suspicandum est non tam quia Pelagius natione erat Brito — nam non in patria sua Pelagium docuisse constat — quam ex Prosperi de misso Germano verbis, quae Agricolam, Pelagianum, Severiani, episcopi Pelagiani, filium ecclesias Britanniae dogmatis sui insinuatione corrupisse testantur (chron. a. dom. 429 op. I, 401. Schöll p. 26) denique ex libello illo, quem iisdem fere temporibus Fastidius, natione Brito testante Gennadio, Pelagianus teste ipso libello, de vita christiana composuit (Migne Patr. lat. 50, 2 p. 383 sqq. cf. Wagenmann in Herzog-Plitt R. E. Art. Fastidius). Hanc Pelagii haeresim Germanus duobus itineribus eradicasse dicitur (vit. Germ. H. and St. I, p. 16 sq. 18 sq.), Prosperus autem de Coelestino papa Germanum mittente non plura quam *dum Romanam,* inquit, *insulam studet servare catholicam* (contr. Coll. 21 op .I, p. 197 H. and St. I, p. 16), itaque dubium est, num brevi tempore evanuerit in Britannia haeresis Pelagiana. Sed profecto dubium non est, quin — omissis, quae de doctrina Pelagii commemoravimus et jure omissis nam paene totam illius temporis ecclesiam docuisse constat tali ratione, quae Pelagii doctrinae similior fuerit quam Augustini — Britonum ecclesia, quoad imperium Romanum in Britannia constabat i. e. a primordiis usque ad annum circiter 450 plane orthodoxa sit habenda.

Quae cum ita sint, nobis non opus est scire, a quonam evangelii doctrina in Britanniam allata sit. De qua re, cum nullo modo fidem christianam recta via ex oriente in Britanniam allatam esse omnes consentiant, in duas sententias discedunt viri docti. Alii Gallos Britonum apostolos fuisse affirmant, quorum ritibus ecclesiasticis, liturgiae, lectionibus sacris, hymnis secundae aetatis ecclesiae Britannicae ritus, liturgiam, lectiones, hymnos similia fuisse luce clarius est (vid. Warren, p. 61 et locos ibi commemoratos), alii iique minores numero auctoribus Romanis Britones ad christianum fidem transiisse sibi persuaserunt (Schöll, p. 48. Haddan), alii in medio rem relinquunt (Bright p. 1). Hanc controversiam disceptari nostra parum interest, dummodo ecclesiam Britonum orthodoxam fuisse concedatur. Nec tamen silendum esse putavi proximo anno Warrenium, virum doctissimum, perplura attulisse argumenta, quae comprobarent, fidem christianam ex Gallia ac quidem ex urbibus Lugduno et Vienna temporibus Irenaei in Britanniam transmigrasse (Warren p. 46—58). Quae sententia cum ex ritibus in Britannia usitatis neque eorum, qui cum orientalibus congruunt — exstant enim tales (Warren p. 55) — neque eorum, qui similes sunt Gallicanis obscuram relinquat originem, digna mihi videtur, quam assensione comprobemus, quamvis, quae de tempore, quo facta esset illa transmigratio, Warrenius attulit, incertiora esse negari non possit. Nam quid incertius, quam quae apologetae proferunt de ecclesia succrescente! Sed quid ad rem? Ut sint incertiores, quos subduxit, calculi, certior est ipsa res, certiora illa argumenta, quae rituum natura nituntur. Quin etiam duas alias res commemorem, quae Warrenio haud scio an majorem fidem afferant.

Quarum prior est, quod symbolum, quo Britones in baptismatis ministerio ineunte saeculo quinto usi esse videntur, — quantum cognosci potest ex symbolo illo regularum fidei more et contracto et aucto, quod exstat in Patricii, Hibernorum apostoli, natione Britonis, confessione (H. and St. II, 2 p. 297. Hahn, *Bibliothek der Symbole*. 1877. p. 268) — et ita discrepat cum ea symboli apostolici forma, qua Romani tunc temporis utebantur (Hahn, p. 13 sqq. cf. Harnack, Art. Apostolicum in Herzog-Plitt R. E.) ut Romanos Britonum apostolos fuisse tibi vix persuadeas, et orientalibus symboli formis, quibuscum Irenaei symbolum congruisse apparet ex regulis fidei, quae apud ipsum reperiuntur (Hahn, p. 1 sq.), similior est, quam ulli occidentalium symbolorum formae. [1]

---

[1] Proh dolor! et ipsius auctoris additamenta et verborum in codicibus corruptelae impediunt, quominus accuratius hoc symbolum

Altera etiam sui ipsius causa commemoratione digna videtur. Cuique enim, ut opinor, Gildae libros legenti conspicuum videbitur, quod Gildas (ep. § 74 sq.) mentionem fecit de Ignatio et Polycarpo verba proferens ex hujus martyrio et illius ad Romanos epistula. Nonne haec res, etsi constat ex Gregorii Turonensis de gloria martyrum libello (c. 86. Migne, P. L. 71, p. 782. cf. Warren, p. 99) martyrium Polycarpi in compluribus Galliae ecclesiis recitatum esse in celebrandis eucharistiae mysteriis, — nonne, quaeso, haec res videtur indicare consuetudinem fuisse antiquae Britonum ecclesiae cum urbibus Lugduno et Vienna?

Haec de primordiis. Ad alteram jam veniamus ecclesiae Britonum aetatem

inde ab anno 450, usque ad annum 597

pertinentem. De qua priusquam disserere incipiamus, meminerit is, qui haec legit, eo ipso saeculo, a quo initium capit, alibi quoque quin etiam in omnibus occidentis terris antiquitatis instituta corruisse, nova quaedam exstitisse. Quocunque spectaveris, in doloribus quasi puerperae tunc fuisse mundum invenies. Neque aliter in Britannia. Eundem enim fortunae exitum tulit, quem multae aliae imperii Romani provinciae. Nam bona illa, quam extremis imperii Romani saeculis in Britannia invenimus, ecclesiae condicio medio fere saeculo quinto subito conversa est, cum Angli Saxonesque pagani Britanniam invasissent, et Britones ab iis rejecti partim occidentales Britanniae partim transmarinas Galliae regiones petere cogerentur (Gildas hist. § 25, p. 32). Anno etiam 455 testibus annalibus Cambriae (de quibus cf. Schöll, p. 37 sq.) *pascha commutatum*[1] *est cum papa Leone episcopo Romae* (H. and St. II, 1 addenda p. XXII), sed postea, etsi frequentissimum commercium cum Gallia saltem cum Armorica (cui hodie nomen est *Bretagne*) Britonibus nunquam non fuit (cf. infra et Warren, p. 58 sqq.) nullam Britones cum ceteris occidentis terris nullam cum Romanis societatem habuisse videntur donec anno 597 Augustinus in Britanniam venit.

---

cum aliis comparemus. Satis sit commemorasse, illud „*hominem factum*“ et illud „*a quo est omne principium*“ denique illud „*per ipsum* (Christum) *facta sunt visibilia* [et invisibilia]“ non nisi in orientalibus symbolis et apud ipsum Irenaeum inveniri.

[1] Vim suam accipit haec vox haudquaquam ex controversia quadam de tempore festi paschalis sed inde, quod propter computandi difficultatem variae passim in ecclesia universa erant opiniones vid. infr.

Quod magnum temporis intervallum oblivione prorsus obscuratum esset nisi his ipsis temporibus Gildas scripsisset, historiam anno 560 vel 564 (cf. Schöll p. 3, H. and St. I, p. 44, not. †) epistulam ante annum 547 (cf. Schöll et H. and St. l. c.). Nam quae praeter haec Gildae scripta exstant ejus temporis testimonia, epistularum, quae Gildae ascribuntur, et libri poenitentialis ejusdem reliquiae (H. and St. I, p. 108—115), incertiora mihi videntur esse, quam quibus hic utamur, statuta autem synodalia, quae permanserunt (H. and St. I, p. 116—119, Wasserschleben, Bussordnungen, p. 103 sq.) ad illustrandum hoc temporis spatium parum momenti afferunt, nec tamen in eis, quae proferam, omnino praetermittentur. — Gildam ergo inprimis perscrutemur, utpote qui unus de omnibus Britonum provinciis nos edoceat. Complura enim post Romanorum discessum regna constituta sunt in Britonibus. Complura erant in Cambria, quorum potentissima erant regnum Demetiae in Cambria meridionali et regnum Gywnedd in septentrionali, tertium in meridionali Britannia regnum Damnoniae, quartum, cujus caput erat Alcluith (hodie *Dumbarton*), in confinibus Scotiae et Britanniae, quae nunc sunt, regnum eorum Britonum, qui Romani appellabantur, denique alia minora (cf. Bright, p. 27; Skene I, p. 235 sq.).

Sed singulorum historiae rationem habere nostra non refert, praesertim cum quae de singulis constant vel constare putantur, nitantur in scriptoribus illa ipsa aetate longe inferioribus. Neque Gildas de singulis singularum regionum ecclesiis verba fecit, sed in universum loquitur. Quo libentius aures ei demus.

Attamen, si speraremus fore, ut Gildas planis ac dilucidis verbis ecclesiae aetatis suae imaginem nobis effingeret, vana spe teneremur. Nam non sine optimo jure Gildae de excidio Britanniae libellus „liber querulus“ appellatus est: querelas continet historia, querelas epistula. Sed numquam e querelis eorum, qui neglectis paene suae aetatis virtutibus videntur nihil observasse nisi quae vituperanda essent in aequalibus, vera ac perfecta praeteritorum temporum notitia haurietur. Nigerrimis vero coloribus Gildas aequalium mores depinxit. *Reges,* inquit, *habet Britanniae, sed tyrannos, judices habet, sed impios, reos, latrones,* dignos, qui ipsi condemnentur (ep. § 27 sqq. p. 36 sqq.), *sacerdotes habet, sed insipientes, quam plurimos ministros, sed impudentes, clericos sed raptores subdolos, ecclesiasticos gradus propensius quam regna coelorum ambientes* (ibid. § 66, p. 72 sqq.). Talia legentibus nobis confitendum est Gildam justo plus vituperare, nam constat iisdem temporibus et paullo post multas in Britannia fuisse scholas, multos egregios doctores, multos venerandos episcopos ut Danielem Bancorensem († 584 H. and St. I,

p. 143), Davidum Meneviensem († 601. H. and St. p. 144), Dubricium Landavensem († 612 H. and St. I, p. 146), Kentigernum Glascovensem († 612. H. and St. II, 1. p. 4. cf. Skene II, p. 180—198), Asaphum, Kentigerni socium ac discipulum (H. and St. I, p. 144), de quibus omnibus fama permulta, annales nil nisi nomina memoriae prodiderunt, — necnon ipse Gildas ab iis veniam petit (ep. § 65, p. 72), quorum vitam non solum se laudare sed etiam cunctis mundi opibus praeferre affirmat (cf. ep. § 69, p. 76), ipsum denique Gildam scripta ejus comprobant fuisse virum summa admiratione dignum, eruditum pro suis temporibus, insignem vitae integritate, amabilem propter amorem erga gentem suam, quippe qui fratres amaverit ut Moses (Exod. 32, 3 cf. ep. § 69, p. 78) immo paene ut Paulus apostolus (Rom. 9, 3 cf. ep. § 64, p. 71). Nihilominus ex iis, quae Gildas *flebili sermone*, ut ait Beda (h. e. 1, 22, § 50), enarrat cognosci potest Britonum ecclesiam illius aetatis eandem fuisse, quae antea erat in Britannia, eandem sed senescentem, senescentem eodem modo atque in omnibus Romani imperii provinciis constat senuisse cum imperio ecclesias, — eandem non novam vel renovatam. Quod cum neget, immo cum dicat ecclesiam Britonum Gildae temporibus ita floruisse, ut facere non possimus, quin externorum ope sacra in Britannia restituta esse putemus, Schoellius (p. 20) a vero saltem a certo paullum aberrasse mihi videtur.

Negari vero non potest ecclesiam illius aetatis, — quantum ex Gildae scriptis licet cognoscere — et ex arianis pelagianisque perturbationibus et ex ea, quae invasionem Saxonum subsecuta erat, miseria se recreavisse. Nam bene ordinata invenimus omnia. Invenimus clericorum magnum numerum (ep. § 66, p. 72), episcopos honoribus et divitiis ornatos (ib. § 108, p. 114), munere apostolorum praecipue Petri, *clavicularii illius coelorum regni idonei* (ib. § 73, p. 82) tanquam successores ejus (ep. § 66 sq. p. 72 sqq.) fungentes, synodos congregantes (cf. infra), presbyteros (ep. § 69, p. 76), non solum *summum* sed *quemlibet ecclesiasticum gradum* (ep. § 66 p. 74) ac certos definitosque ordinationis ritus (ep. § 106 sq. p. 111 sqq.); invenimus et monachos, votorum vinculis obstrictos (ep. § 35, p. 45) neque ignoramus prorsus, quaenam fuerint illa vota. Nam cum appareat post monachi votum quin etiam *post monachi votum irritum illicitas* fuisse nuptias (l. c.), cum occurrat femina quaedam, quae *perpetuam deo viduitatis castimoniam promiserat* (ep. § 32 p. 41) id quidem certum est, quod inter vota monachorum non defuit votum, quod dictum est sinus i. e. virginitatis, in qua permansisse Jeremiam prophetam Gildas, cum loquitur de Jeremia (ep. § 80, p. 89), commemorare non omisit.

Eadem comprobant statuta illa synodalia supra commemorata, quae haud scio an his ipsis temporibus ascribi possint (H. and St. I, p. 117 sqq.).[1] Nam luce clarius est illud „*cum muliere vel cum viro peccans quis expellatur, ut alterius patriae* [an *patris?*] *coenubio vivat* ... (syn. aquilonalis Britanniae c. 1 H. and St. p. 117) de monachis esse dictum. Et quid sibi vellent ea capitula, quae poenas definiunt in eos, *qui se ipsos inquinaverint* (ejusd. syn. II, H. and St. I, p. 117), *qui peccaverint cum cane* (syn. Luci Vict. VII, l. c. p. 118) vel *ut Sodomitae* (ibid. VIII) vel *cum muliere disponsata Christo* (excerpta ex libro Davidis[2] V l. c. p. 119. cf. Wasserschleben, Bussordnungen, p. 9), nisi ducere uxorem aut viro nubere quibusdam denegatum fuisset? Denique ipsius synodi Luc. Vict. c. IX his verbis scriptum est: *Totum hoc, quod diximus, si post votum perfectionis fecerit homo. Si autem ante votum, annus deminuitur de omnibus; de reliquis vero, ut debet, minuitur, dum non vovit.* (H. and St. II, p. 118). Ergo monachis in matrimonio vivere non licebat, quamvis Ebrardus contraria adseveret (p. 206 sqq.).

Sacerdotibus num licuerit, vix dijudicari potest. Negari quidem non potest fuisse clericos, qui nulla infamia adspersi uxores duxissent, nam Gildam audimus dicentem cum apostolo episcopum oportere esse *unius uxoris virum, filios habentem subditos cum omni castitate* (ep. § 108, p. 114; § 109, p. 115) sed licet dubitare, num haec sacerdotum matrimonia a Gilda non vituperata revera matrimonia fuerint. Constat enim iisdem temporibus et in Gallia et alibi canones et statuta synodalia ab iis episcopis, presbyteris, diaconis, qui ante diaconatum uxores duxerant — quod plurimi faciebant, nam tunc temporis clericos saepissime per longum tempus in inferioribus gradibus versatos esse docuit Loeningius (II, p. 318) — nequaquam postulasse, ut uxores dimitterent, sed tantum, ne porro cum uxoribus carnaliter copularentur. Quid si idem in Britannia canonum vel synodorum legibus vel usu sancitum fuerit? Sancitum non fuisse nullo modo comprobari potest. Ex contrario verisimillimum est Britonum mores alios non fuisse quam Gallorum. Profecto non opus erat statuto Siricii papae in Britanniam recepto (Ebrard,

---

[1] Exstant, antiquissima (cf. Syn. Luc. Vict. IV, H. and St. I. p. 118: *qui praebent ducatum barbaris* etc. sed cf. Can. Hib. LIX, 2. Wasserschleben Ir. Can. p. 255. saec. VIII.) videntur esse, itaque forsitan cohaereant cum synodis illis, quas saeculo sexto habitas esse et annales — (saltem de una loquuntur H. and St. I, p. 116) et vitae Sanctorum referunt (H. and St. l. c.). Sed pro certo nihil de hac re videtur mihi posse affirmari. De synodis Davidis Meneviensis a Giraldo Cambrensi (saec. XII.) commemoratis (Wasserschleben, Bussordn. p. 8) vid. H. and St. I, p. 116.

[2] His amplius non utar, nam incertiora mihi videntur esse.

p. 208). Ubicunque enim perfectio christiana in votis monachorum constare videtur (cf. supra syn. Luc. Vict. IX), ibi superiorum graduum clerici in matrimoniis vivere vix possunt. An licet episcopos minus perfectos esse quam monachos? Profecto non licuit, nam simulatque duplex vivendi norma, haec monachorum, illa aliorum, in ecclesiam recepta est, fieri non potuit, quin mox ecclesiae doctoribus videretur, ut superiorum graduum clerici a conjugio vel, si antea uxores duxerant, a carnali cum conjugibus communione abstinerent. Sed jam satis est meditationum, redeamus ad Gildam. Quid sibi vellent verba, quae Pauli apostoli illis (1 Tim. 3, 4) de suis addidit dicens: *„ergo imperfecta est patrum castitas, si eidem et non filiorum accumuletur. Sed quid erit, ubi nec pater nec filius, mali genitoris exemplo pravatus conspicitur castus“* quid sibi vellent, inquam, haec verba, nisi Gildas abstinentiam postularet a sacerdotibus? „Castitatem matrimonialem“ quam Lutherum Hermanno Borussorum duci suasisse constat, quam Paphnutius in synodo Nicaena laudasse traditur, Gildae, quippe qui virginitatem maximi aestimaverit, in animo fuisse mihi persuadere non possum. Praeterea ex loco quodam obscuro (Gildas ep. § 66, p. 72, vers 7—11), quem accuratius explicare longum est, id quidem procul dubio videtur posse colligi sacerdotes plerumque in eadem domo habitasse cum sororibus vel matribus, iisque contra fas expulsis cum *externis ancillis;* — de conjugibus vero in hoc loco nil inest. Itaque etsi confiteor rem argumentis satis idoneis hoc loco adhuc non posse confirmari (cf. infra) tamen suspicari licet apud Britones clericis nisi in inferioribus gradibus per leges non licuisse vivere in matrimoniis. Illicita autem et illegitima matrimonia nihilominus persaepe contracta esse suspicandum esset, etiamsi Gildas nil de hac re diceret. Sed Gildas minime silentio hanc rem praeteriit. Immo vero ipse testis est, fuisse tunc sacerdotes quibus plures uxores essent. Nam *„unius,* inquit (ep. § 108) *uxoris virum“! „Quid ita apud vos quoque contemnitur, quasi non audiretur, vel idem dicere et* [an *diceret?*] *virum uxorum.“*

Quae cum ita sint, Britonum ecclesiam hac secunda aetate a communi ecclesiae consuetudine moribus vel fide dissensisse adhuc non habeo, quibus comprobem. Ebrardus Britonum ecclesiam sanctorum cultus expertem fuisse affirmat. Atqui dubium est an Gildam legerit (cf. supra p. 8, not.). Nam aliter rem sese habere Gildas est testis (cf. hist. § 28, p. 37: *deo primum jure(que)jurando, sanctorum demum choris.* cf. hist. § 10) neque obscurum est permultas in Britannia fuisse sanctorum ecclesias (cf. H. and St. I, p. 37 sq. et Beda h. e. 1, 26, § 56).

Neque, ut illud quoque Ebrardi figmentum diluam, ullum exstat testimonium, quod comprobet doctrinam de eucharistia

aliam fuisse apud Britones atque alibi, nam *„sacrificii coelestis sedes“* etiam Gildas altaria nominat.[1] Ritibus autem singularibus atque peculiaribus Britones usos esse in peragendis eucharistiae solemnibus putare licet. In his verisimile est Britones adhibuisse panem non fermentatum. Döllingerus quidem cum hoc affirmat (*Geschichte der christlichen Kirche. Landshut 1833, p. 217*) spuriis Gildae verbis nititur, quae nunc exstant apud H. and St. I, p. 112 sq. (cf. H. and St. I, p. 108 not*), nec tamen res ipsa negari potest (cf. Warren, p. 131 sqq.). Sed quid mirum? Errare Döllingerum hoc proprium fuisse Britonum affirmantem Warrenius (l. c.) luculentissimis testimoniis demonstravit, eundem morem et alibi et apud Anglos ipsis Theodori archiepiscopi quin etiam Alcuini temporibus fuisse docens.

Qua tandem re dissentiebat ecclesia Britonum ab universa ecclesia catholica? Gildas de ordinationis ritibus talem facit mentionem (ep. § 107 sq. cf. Warren, p. 69 sq.), ut liceat videre eos cum Romanis non congruisse. Sed hoc levioris momenti est et infra pertractandum. Idem Gildas — et hoc maximum est — testis est nullam tunc societatem fuisse cum episcopis Romanis. Tantum enim abest, ut Gildas episcopo Romano universam ecclesiam regendam esse putet, ut dicat cuique vero sacerdoti dictum esse: *tu es Petrus* etc., ut omnes episcopos Petri successores esse judicet (ep. § 67. p. 74 sq.). Cujus rei quae erat causa? Profecto non controversia quaedam cum episcopis Romanis, non odium in Romanos, sed nulla alia res nisi intermissa Saxonum post invasionem cum Romanis consuetudo.

Praeter hasce duas res, ritus et intermissam cum Romanis consuetudinem, apud Gildam nil invenimus, quod Britonum proprium dici possit, nam, quae feruntur, Gildae verba de Britonum tonsura et celebrandae eucharistiae more spuria esse supra quasi praeteriens jam commemoravi (cf. H. and St. I, p. 112 et p. 108 not*).

Nihilominus jam tunc temporis nonnulla fuerunt, quibus Britones ab aliis ecclesiis dissentirent. De quibus Gildas cum mentionem non faciet, suspicandum est eum intermissa cum aliis consuetudine ipsum nescivisse, quae essent Britonum propria, saltem non habuisse, quod verba de his faceret. Nam alibi, ubicunque Britones inter alias nationes viventes societatem cum aliis non habere non poterant, de propriis Britonum moribus tunc jam agebatur. Qua de causa pauca

[1] A vera temporis ratione aberrarem, si verba facerem de communione sub utraque specie; constat enim eam tunc temporis ubique in ecclesia in usu fuisse.

de Britonum in Gallia et Hispania ecclesiis
disserenda nobis erunt. Britonum, cum a Saxonibus sedibus pulsi essent, nonnullos transmarinas Galliae regiones petiise supra jam commemoratum est. Sed hi minime primi Britonum domicilia in Gallia quaesierunt. Jam diu enim illa Galliae pars, cui hodie nomen est „*Bretagne*" tunc Armorica, a Britonibus incolebatur, qui expulsis Romanorum militibus anno 409 *peculiarem ex sua sententia civitatem* (Zosimos. H. and St. II, 1, p. 72 not b) constituerant. Hujus regni episcopi quinti saeculi temporibus Turonensi archiepiscopo subjecti erant (H. and St. II, 1, p. 91) et synodis in Gallia congregatis interfuerunt (conc. Turon. I, H. and St. II, 1, p. 72, anno 461; conc. Venet. ann. 465 ib. p. 73; conc. Aurelian. I, ann. 511 ib. p. 74, cf. ib. p. 96 not. b). Sed haec Britonum cum Gallis consuetudo ineunte saeculo sexto paullatim intermissa est, postquam Franci anno 502 Armoricam suae dicionis fecerunt (H. and St. II, 1, p. 72 not. c). Nam cum Britonum duces, qui ex eo tempore regibus successerant, a Francorum principatu paene liberi essent (H. and St. II, 1, p. 72 not. c), nil obstabat, quominus Britones iterato advenarum de patria adventu aucti (H. and St. II, 1, p. 72 not. d) odio contra Francos, dominos suos, commoti adeo solitariam, ut ita dicam, vitam vivere inciperent, ut episcopi eorum in synodis Gallorum vel potius Francorum posthac vix appareant (cf. H. and St. II, 1, p. 91 et p. 96 not. b) et ne synodalibus quidem minationibus (Turon. II, ann. 567, H. and St. II, 1, p. 77) videantur potuisse commoveri, ut archiepiscopo Turonensi amplius oboedirent.

Quorum Britonum de moribus quae dicenda erunt, conjungi possunt cum iis, quae de illis Britonum ecclesiis, quae in Hispania ac quidem in Gallicia sexti saeculi temporibus reperiuntur (H. and St. II, 1, p. 99 sqq.) commemorare nobis opus erit.

Quid igitur de utraque hac Britonum ecclesia dicendum est? qualem invenimus ab universa ecclesia dissensionem? Nullam de fide catholica. Alioquin neque Gallicis (vid. supra) neque Hispanicis (H. and St. II, 1, p. 99 sq.) synodis Britonum episcopi adfuissent, alioquin Gregorius Turonensis Winochum, Britonem, non laudasset his verbis: *tunc* (i. e. a. d. 578) *Winochus, Britto, in summa abstinentia a Britanniis venit Turones Hiersolymam adire cupiens, nullam aliud vestimentum nisi .... habens, quem nos* (ipse Gregorius), *quo facilius teneremus, quia nobis religiosus valde videbatur, presbyterii gratia honoravimus* (h. e. gent. Franc. V, 24. H. and St. I, 1, p. 78).

Eundem ergo de fide catholica consensum reperimus, quem apud Gildam. Quin etiam quae supra de sacerdotum matrimoniis non sine conjecturis in medium protulimus, hoc loco

exemplo confirmare possumus. Apud Gregorium enim Turonensem legimus Macliavum quendam, Britonem, fratrem Chanaonis ducis Armoricae, *Veneticam urbem* (i. e. Vannes) *expetiisse ibique tonsuratum episcopum esse ordinatum, mortuo autem Chanaone* (a. d. 553) *apostatavisse et demissis capillis uxorem, quam post clericatum reliquerat, cum regno fratris simul accepisse — sed ab episcopis* — iisque procul dubio Britonibus — *excommunicatum esse* (h. e. IV, 4. H. and St. II, 1, p. 75).

Refutatis igitur, quae de sacerdotum matrimoniis ab ecclesia Britonum probatis persaepe sunt ficta, peculiares et proprios Britonum mores hoc loco non invenimus nisi hosce: computationem propriam festi paschalis et peculiarem tonsurae formam.

Paschalis illius, ut ita dicam, inter Romanas et Celticas ecclesias controversiae principia astronomica et chronologica denuo perscrutari meum non putavi, est enim res maxime odiosa. Teste Ebrardo (p. 19—78) controversia non erat de cyclis, quibus festi dies paschales computarentur, sed posita erat in ea re, utrum, cum primi post aequinoctium plenilunii dies (i. e. Nisani quartadecima) caderet in diem dominicam, liceret hac ipsa lunae quartadecima festum resurrectionis domini diem celebrare, necne. Romani enim illa aetate festum paschale intra 16mam et 22mam lunae diem celebrabant i. e. lunae sexta decima, cum plenilunium (lunae 14ma) inciderat in diem Veneris, lunae 17ma cum in Jovis diem etc.; ipsa autem lunae 14ma celebrandum non esse censebant et, quia ambiguum saepe esset plenilunii tempus, ne 15ma quidem. Britones autem (et Scoti), etiamsi Judaei eadem lunae 14ma pascha suum celebrarent, tamen hanc diem, cum incideret in diem dominicam, rejiciendam non esse arbitrabantur.

Qua in controversia nullius momenti fuisse Ebrardus affirmat, quod Britones lunari octoginta quatuor annorum cyclo, Romani cyclo Victorii undeviginti annorum, quem anno 465 receperant, utebantur, ut computarent, quam in diem primum illud veris plenilunium (Nisani 14ma) incideret. Quae Ebrardi sententia haud scio annon majore fide digna sit quam aliae ejusdem. Jam Cumeanum (anno 634, cf. infra) et Bedam aliter sensisse ipse Ebrardus confitetur, neque dubitarem putare in hac tam difficili causa veteres illos erravisse, si unum haberet Ebrardus sententiae socium. Sed ipse Haddanus, vir doctissimus, ut taceam de Idelero et aliis: *all these*, inquit (H. and St. II, 1, p. 78 not. p. 77 a perg.) *Easter disputes arose merely out of a confusion respecting cycles.* Id vero certum est, quod ille mos celebrandi festi paschalis intra lunae 14mam et 20mam aut intra 16mam et 22mam ab ipsa plenilunii computatione haud-

quaquam proficisci potuit. Hoc Ebrardo est concedendum. Quid autem, si forte ipse Victorius verba addiderit de die, qua festum paschale celebretur? Licetne hoc putare? Immo necesse est. Audiamus Gregorium Turonensem (h. e. V, 17. H. and St. II, 1, p. 77), qui „*dubietas*, inquit, *paschae fuit* (a. d. 590) *ob hoc, quod in cyclo Victor lunae decima quinta pascha scripsit fieri; sed ne Christiani, ut Judaei, sub hac luna haec solemnia celebrarent, addidit*“ (cf. ipsum Ebrardum p. 34).

Sed quocunque modo res sese habet, cum cyclus ille 84 annorum tum mos ille celebrandi intra lunae 14^mam^ et 20^mam^ prioribus temporibus minime Britonum proprius erat, ipsi Romani quarti saeculi quin etiam ineuntis quinti saeculi temporibus et more illo et cyclo utebantur (cf. Ebrard p. 40 et p. 36). Romani duobus saeculis post usum suum commutaverant, Britones etiam tunc more majorum utebantur. Quid ergo judicandum est de hac controversia? nisi, quod jam Beda simile dixit de Scotis, permansisse hunc computandi festi paschalis morem apud Britones „*utpote quibus longe ultra orbem positis nemo synodalia paschalis observantiae decreta porrexisset*“ (cf. Beda h. e. 3, 25, § 233). Quod profecto nemini mirum erit, qui secum reputaverit, quam difficile tunc fuerit inter homines commercium. Ipsi aetatis illius homines sibi conscii erant nimis multis et magnis difficultatibus obstructam esse concordem in universa ecclesia festi paschalis celebrationem. Inde fieri potuit, ut passim (H. and St. II, 1 p. 100 not. a) in ecclesia dissensiones existerent de tempore festi paschalis neque simul statim schisma oreretur. Neque aliter in Gallia res sese habebat. Ne amplius dies festi paschalis posset vocari in dubitationem concilio Aurelianensi ann. 541 (can. IV, 1 H. and St. II, 1 p. 75) placuit, *ut sanctum pascha secundum laterculum Victorii ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebraretur . . de qua solennitate quoties aliquid dubitaretur, inquisita vel agnita per metropolitanos a sede apostolica sacra constitutio teneretur.* Nihilosecius annis 577 et 590 iterum de eadem re orta est dissensio; *Latini*, inquit Gregorius Turonenis eodem loco, cujus partem priorem supra commemoravimus (h. e. V, 17. H. and St. II, 1 p. 77) celebraverunt *lunae vigesima secunda. Ob hoc* (scil. quod Victorius lunae decima quinta pascha scripsit fieri cf. supra) *multi in Gallia decima quinta celebraverunt. Nos autem vigesima secunda.* Nonne, etsi illud *ob hoc* huic opinioni non quadrat, verisimile est illos „*multos*“ alios non fuisse nisi Britones Armoricanos, quorum provinciae civitas Turonensis erat vicina (H. and St. II, 1 p. 77 not. a)? Britonum enim more congruit decima quinta lunae celebrare, et ullud „*ob hoc*“ Gregorius causam afferre cupiens de suis addidit. Qua iu re id potissi-

mum conspicuum est, quod dissensio illa non effecit, ut schisma oreretur in Francia.

Idem de tonsura dicendum est. Tonsuram, qua Britones (et Scoti, ut infra videbimus) utebantur, aliam fuisse atque eam, quae dicebatur et dicitur tonsura coronae, qua Romani et alii erant attonsi, inter omnes constat. Sed qualis fuerit ista Britonum tonsurae forma, non aeque notum est. An fieri potest, ut nisus verbis Mabilionis, quae Jafféius (Bibliotheca rer. Germ. III, p. 26 not. 8) transscripsit: *Britones anteriorem capitis partem capillis omnino nudabant ab aure ad aurem, posteriore intonsa*, animo effingas illam tonsurae formam? Melius idem Mabilio Act. II, p. 120 vit. Eust. ann. 625, 12 not. b *tonsura Hibernica,* inquit, *dimidiatam coronam reddebat: scilicet ab aure ad aurem per frontem in coronam caesus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium intonsus dependebat.* Talis enim erat Britonum tonsura, *ut in frontis superficie coronae videretur speciem praeferre; sed ubi ad cervicem considerando perveneris, decurtatam eam, quam te videre putabas, invenies coronam* (ep. Ceolfridi apud Bedam h. e. 5, 21 § 440).

Hac eadem tonsura in Gallia quoque Britones usos esse testimonium est Gregorii Turonensis hocce: *Fredegundis* .... *Bajocassinos Saxones* (i. e. eos, qui prope „*Bayeux*“ habitabant) *juxta ritum Britannorum tonsos* .... *praecepit* (h. e. X, 9. H. and St. II, 1 p. 78). Tamen de ulla controversia, quae ex hac propria Britonum tondendi ratione orta esset in Gallia, memoriae nil proditum est.

In Hispania autem in concilio Toletano IV ann. 633 tonsurae forma apud Britones usitata comdemnata est. Nam de alia quadam tertia tonsura forma in synodo illa actum non esse apparet partim ex verbis ipsis tonsurae formam describentibus, quae sic scripta sunt: *omnes clerici vel lectores sicut levitae et sacerdotes detonso superius toto capite inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliciae partibus facere lectores videntur, qui prolixis ut laici comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque haereticorum erat* (conc. Tol. IV, can. XLI H. and St. II, 1 p. 99), partim inde quod in Gallicia Britonum coloniam fuisse aliae causae comprobant (H. and St. II, 1 p. 99). Hujus Britonum tonsurae quae fuerit origo, iisdem tenebris obscuratur, quae omnino tonsurae primordiis obductae sunt (cf. Hinschius, Kirchenrecht I, p. 104). Tamen concilii Toletani illud: „*ritus enim iste hucusque haereticorum erat*“, cum haeretici illi certo non intelligendi sint Britones — nam inter episcopos eos, qui synodi statutis subscripserunt, episcopus quidam de Britonibus reperitur — demonstrare potest hunc Britonum morem

non omnino proprium fuisse Britonum, sed profectum esse a priore quadam tonsurae ratione antea in ecclesia saltem in quibusdam ecclesiae partibus usitata. Quod idem comprobat Paulinus Nolanus mentionem faciens (Op. ed. Rosweyde 1622 ep. 7) de monachis Gallicis *casta informitate capillum ad cutem caesis et inaequaliter semitonsis et destituta fronte praerasis* (cf. Skene II, p. 24). Contra cum *Saxones* illos *Bajocassinos juxta ritum Britannorum tonsos* laicos fuisse manifestum sit (cf. H. and St. II, 1 p. 78), suspicandum est, laicos quoque Britones peculiari quadam ratione fuisse tonsos. Inde, si verum est, colligendum est rationis tondendi clericos apud Britones usitatae partim etiam morem domesticum fuisse auctorem. Ergo et a priore quadam tonsurandi ratione et a domesticis Britonum moribus tonsurae Britonum origo videtur esse repetenda. Sed utrumque quid contulerit ad efferendam illam ipsam tonsurae formam in medio relinquendum est. Id vero pro certo affirmari potest Britones hunc morem sequentes tamen fide et operibus unitati catholicae potuisse favere, levioris enim momenti esse hanc de tonsurae forma dissensionem ipsius controversiae temporibus Romani non tacuerunt (ep. Ceolfridi, Beda h. e. 5, 21 § 441). Hac ipsa de causa equidem de his Galliae et Galliciae ecclesiis omnino verba non fecissem, nisi permultum mea interesset demonstrare in Gallia et in Hispania placide et sedate actum esse de iis ipsis Britonum moribus, propter quos fieri non potuit, quin in Britannia vehemens oreretur controversia inter Britones et Saxonum apostolos a Gregorio papa in Britanniam missos. Itaque his absolutis jam progrediamur ad ipsam illam, quam distinximus

tertiam ecclesiae Britonum aetatem, proficiscentem ab anno 597,

eodem quippe anno, quo Augustinus, primus Anglo-Saxonum episcopus ad Britanniam navem appulit. — Augustinus et socii, cum in Britanniam venerunt, nondum certo sciebant, qui essent mores Britonum proprii, immo Laurentius, Augustini in archiepiscopatu Cantuarensi successor, Scotis scripsit (ann. 604—610) se venisse in Britanniam *credentes, quod juxta morem universalis ecclesiae Britones ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis tam Britones quam Scotos venerantes* (Beda h. e. 2, 4 § 98). Quod, etsi mendacii Laurentius accusandus non est, tamen in sincera veritate scriptum non est. Certe enim Gregorius papa suspicatus est Britones non omnino consentire cum universa ecclesia. Alioquin Augustino non scripsisset: „*Britanniarum omnes episcopos tuae fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur*“

(Beda h. e. 1, 27 § 65). Neque ignorare potuit Gregorius Britones nunquam genti Saxonum cum ipsis Britanniam incolenti verbum fidei praedicando commisisse (Beda h. e. 1, 22 § 50).

Hanc ipsam ob causam Augustinum *adjutorio usum Aedilbercti Cantuariorum regis convocasse ad colloquium episcopos sive doctores proximae Britonum provinciae* testis est Beda (h. e. 2, 2 § 91) isque fide dignus. Nam, si longe aliis rebus commotus esset Augustinus, ut ageret cum Britonibus, tamen prudentis fuisset in colloquio inde sermonem ducere, quod Britones in convertendis ad christianam fidem Saxonibus nondum laboravissent, atque eandem vim habent verba, quae Britones responderunt, sive sincera fuit sive simulata Augustini pro evangelio Christi cura. Noluerunt enim una cum Augustino Saxonibus verbum Domini praedicare (Beda h. e. 2, 2 § 93). Qua de causa noluerunt? Famam perhibere Britones superbia Augustini iratos esse (Beda h. e. 2, 2 § 93) nemo est, qui nesciat. Sed si poneremus revera omnia ita esse acta, ut fama perhibet, nemini persuaderetur causam renuendi a superbia illa repetitam a Britonibus interpositam non esse. Quae tandem erat causa?

Tria cum Augustinus tradatur postalasse a Britonibus, primum, *ut pascha suo tempore celebrarent*, tum *ut ministerium baptizandi juxta morem sanctae Romanae et apostolicae ecclesiae complerent*, denique *ut genti Anglorum una cum ipsis verbum Domini praedicarent* (Beda l. c.), exsistit quaestio, utrum Britones tertium illud renuerint, quia priora facere noluerunt, an vice versa haec duo renuerint, quia illud repudiaverunt.

Aut hoc aut illud affirmandum est. Ii enim, qui tertium aliquod sibi fingunt affirmantes Britones quippe liberos principatu Romani pontificis noluisse se subjicere Romanorum dominio — vel quippe puram evangelii doctrinam habentes repudiasse communionem cum ecclesia catholica, vehementer errant. Alteram illam falsam opinionem omitto, nam Britonum ecclesiam fide nequaquam dissensisse ab unitate catholica, satis e prioribus apparet neque opus est colligere testimonia ex ipsius hujus tertiae aetatis scriptoribus. Prior autem illa sententia claris ac planis testimoniis vix refutari potest, nec tamen dubium esse potest, quin falsa sit, quanquam ipse Warrenius (p. 29 sqq.) huic sententiae videtur favere. Argumenta enim non desunt. Nam primae aetatis Britonum ecclesiam pari modo atque aliarum provinciarum ecclesias Romanae ecclesiae episcopo primas dedisse manifestum est. An jure Warrenius (p. 30 sqq.), Schoelii nescius vestigia secutus fidem abrogavit Prospero Aquitanico, qui — praeter locum illum ex annalibus Cambriae supra allatum (p. 12) et praeter Bedam, qui de civilibus rebus ineunte saeculo quinto cum Romanis Britonibus negotium fuisse refert

(h. e. 1, 12 sq.) — praecipuus testis est consuetudinis inter Britonum et Romanorum ecclesias, quippe qui mentionem fecerit de Germano a Coelestino papa in Britanniam misso? Minime. Quousque enim abiret historialis diligentia si verba ut „*no one can read the works of Prosper without noticing, that his chief object was to magnify the importance of the Popacy* (Warren p. 32) idonea essent, quibus de medio tolleretur is, qui unus exstat scriptor aequalis paene iis, de quibus nunc agitur, rebus gestis? Dicant, qui Prospero fidem habere dubitant, dicant, quemnam putent dignum, cui fides tribuatur. An erat, qui melius scribere posset de consuetudine inter Britones et Romam, quam Prosperus, utpote qui secretarius esset Leonis papae eodem ipso anno, quo ultimum illius consuetudinis testimonium nobis occurrit? Sed id ipsum, quod annales Cambriae referunt *de commutato cum papa Leone paschate*, Warrenius, nisi fallor, reticuit, dubito an de industria, nam neque annalium in hac re fides et auctoritas (cf. H. and St. I, p. 152 not.) neque res ipsa videtur posse vocari in dubitationem. An mirum est, quod imperatore Valentiniano III. Leo, clarissimus ille episcopus Romanus, principatum tenebat in ecclesia Britonum, qui eo ipso anno 445, quo Valentinianum edictum suum omnibus notum edidisse constat, imperio Romano subjecti esse non jam desierant? Immo persuadeamus nobis primae aetatis Britonum ecclesiam de primatu Romani pontificis aliter non sensisse atque ceteras occidentalis imperii provincias. Gildae vero temporibus nullam Britonibus cum Romanis necessitudinem fuisse Warrenio libenter concedo, sed quid de hac re judicandum sit supra jam commemoravi (p. 17). Quae cum ita sint, non habemus, quod Britones ineunte saeculo septimo infestos fuisse putemus episcopo Romano.

Rejecta igitur sententia eorum, qui judicant fuga principatus Romani episcopi factum esse, ut Britones de Augustini postulatis recusarent, ad nostram redeamus quaestionem, utrum amore morum paternorum commoti Britones renuerint una cum Augustino verbum dei Saxonibus praedicare an noluerint priscis abdicare moribus, quia abhorrebant a consuetudine cum Saxonibus. Neque jam quid respondeamus dubium est, postquam vidimus neque in Gallicia neque in Gallia similem de iisdem moribus ortam esse controversiam atque in Britannia. Odium in Saxones, quod gentile erat Britonibus, praecipuam controversiae causam fuisse in Britannia manifestum esse mihi videtur (idem sensit Varin mém. 2, p. 227 sqq.). Priscis abdicare moribus non alio consilio nisi ut societatem christianam inirent cum Saxonum gente omnium maxime sibi invisa, hoc durius erat, quam quod odium fieri sineret. Acerbissimum enim fuisse

hoc odium non unus Beda commemorat (h. e. 2, 20 § 147) sed comprobant ipsorum Britonum, quae exstant saeculi VI[i] et VII[i] carmina (cf. Lappenberg, Geschichte von England p. XXXVII).

Quae cum ita sint, jam apparet controversiam ea parte, quatenus ex morum diversitate orta erat, gravem non fuisse; tamen accuratius nobis perscrutandum est, quinam fuerint illi prisci mores. Duos Augustinum Beda facit commemorantem (h. e. 2, 2 § 93), peculiarem festi paschalis computationem et baptizandi morem.

De computatione festi paschalis supra jam satis disputatum est. Baptizandi autem qui fuerit mos Britonum, pro certo affirmari non potest (cf. Bright p. 80). Testibus viris doctissimis H. and St. (I, p. 153 sq.) quorum sententiam verbosius explanavit Warrenius (p. 64—67) omnium conjecturarum verisimillima est, quod apud Britones infantes baptizandi semel tantum in aquam mergebantur non ter, sicut mos erat Romanorum. Hac ergo conjectura acquiescamus.

Cetera, quae Britones agerent, quamvis moribus Romanorum contraria, aequanimiter cuncta se toleraturum esse Augustinus teste Beda (h. e. 2, 2 § 93) promisit. Leviora ergo ipsis Romanis videbantur. Sed quaeramus, quae fuerint. Peculiarem tonsurae formam in his fuisse, quanquam Beda de Britonibus agens de ea mentionem non fecit, comprobant cum ea, quae supra de Galliae et Hispaniae Britonibus protulimus, tum Aldhelmi abbatis quae exstat (Jaffé, Bibliotheca rer. Germ. III. ep. 1, p. 26 sq.) epistula ad Geruntium regem Damnoniae (hodie *Devonshire* et *Cornwallis*). Sed praeter hos mores, 1) computationem festi paschalis, 2) baptizandi ritus, 3) tonsurae formam, etiam alios enumerare possumus.

Et quarto quidem loco peculiares ordinationis ritus, quorum mentio supra est facta (p. 17). Lectionum enim cursus, quo Britones teste Gilda utebantur, alius erat atque in ceteris ecclesiis, nec non proprium erat Britonum, quod — eodem Gilda teste — etiam manus ordinandorum chrismate inungebantur (cf. Warren p. 69 sq. H. and St. I, p. 155 nro. 5). Sed hac in re negligendum non est, eundem morem inungendarum manuum postea inveniri in ipsa Anglorum ecclesia (Warren, p. 70 sq.).

Quinto loco viri doctissimi H. and St. commemorant (I, p. 155 nro. 6) Britonum morem fuisse episcopos consecarari ab uno altero episcopo non accitis duobus aliis, sicuti canones praecipiunt. Hoc jam Warrenius (p. 69) in dubitationem vocavit optimo quidem jure, sed leviore quodam argumento. Verisimile non esse, ait, Britones, quorum episcopi concilio Arelatensi interfuissent, postea egressos esse extra hujus ipsius synodi praescriptum (can. 20. Mansi, sacror. concilior. ampl. coll. II,

p. 474). Sed etiam levioribus fundamentis ipsa Haddani nititur opinio. Legimus enim in vita Kentigerni: *rex et clerus regionis Cambrensis .... accito de Hibernia uno episcopo more Britonum et Scotorum in episcopum ipsum* (Kentigernum) *consecrari fecerunt. Mos enim in Britannia inoleverat in consecratione pontificum tantummodo capita eorum sacri chrismatis infusione perungere* ... (H. and St. I, p. 155). Qui locus quid sibi vellet sine dubio recte interpretatus est ipse Haddanus scribens *morem* illum videri intellegendum esse tantummodo peculiarem, cujus vita mentionem facit, unguendi rationem. Quae cum ita sint, quin etiam cum falsa sint, quae vita profert de unguendi ratione apud Britones usitata (vid. supra p. 25) dubium esse non potest, quin vitae hujus auctori anonymo, quem exeunte saeculo duodecimo priorem non esse constat, omnino fides deneganda sit. Tamen Haddanus, quia de episcopis per unum alterum consecratis in aliis quoque vitis Sanctorum Britonum, aetate illa Kentigerni non vetustioribus, fit mentio et quia constat morem illum saeculo undecimo in Hibernia in usu fuisse, pro certo videtur rem habere. Atqui ea ipsa re, quod scriptorum aetate Hiberni, quibuscum vita Kentigerni Britones congruisse affirmat, illo more utebantur, fides abrogatur scriptoribus. Apud veteres scriptores nulla exstat hujus moris mentio. Ex contrario, Vini episcopum anno 665 Ceaddam consecrasse refert Beda (h. e. 3, 28 § 243 de ipsa re vid. infra) „*assumptis in societatem ordinationis duobus de Britonum gente episcopis*“. Num venissent illi Britonum episcopi, si ipsi putassent non oportere adesse consecrationi alios episcopos praeter ipsum consecrantem? Et complura exstant testimonia, quae Haddani sententiae repugnent, sed cum Britonum simul et Scotorum rationem habeant, de his melius infra agetur. Hoc loco satis sit commemorasse nullum exstare certum hujus rei testimonium. An testimonio esse potest, quod Beda (l. c.) prodidit anno 665 praeter Vini, episcopum Occidentalium Saxonum, (et Bonifatium Domnocensem h. e. 3, 20 § 209, cujus oblitus est hoc loco — cf. Bright, p. 212) nullum fuisse in Britannia episcopum canonice ordinatum? Minime. Nam dubium est, an hoc loco Britonum omnino non rationem habuerit, sin aliter, rituum ob diversitatem Bedam illis verbis usum esse putarem.

Rejecta igitur Haddani sententia restant quinto et sexto numerandi loco peculiaris mos consecrandi ecclesias et monasteria et peculiares ritus in celebranda eucharistia. De quibus pauca sufficiant. Britones enim, secundae quidem et tertiae quas distinximus aetatum, non primae, ecclesias et monasteria videntur consecrasse plerumque non sub nomine defunctorum sanctorum, sed sub fundatorum vivorum nominibus (Warren p. 74), prae-

terea diuturna jejunia consecrationem videntur praecessisse (ibid. p. 75). Eucharistiae autem celebrandae ritus apud Britones eosdem fuisse, qui apud Gallos erant — facile affirmatur sed difficilius neque sine verbositate accuratius explanari potest. Itaque ad Warrenii librum (p. 75 sqq.) lectores delego.

Haec sunt, quae de priscis illis moribus, quibus Britones abdicare nolebant, nobis nota sunt. Profecto, praesertim cum Augustinus omnia praeter computationem festi paschalis et peculiarem baptizandi morem se toleraturum esse pollicitus esset, idonea non fuissent, quae tantam et tam diutinam controversiam inter Britones et Anglos concirent, nisi accessisset acerbissimum Britonum in Saxones odium; profecto celerius ecclesia Britonum et ecclesia Anglo-Saxonum in unum corpus coaluissent, nisi una gens ab altera gentili odio fuisset sejuncta. Nulla enim Britonibus cum Anglo-Saxonibus erat consuetudo. Immo tantae erant inter utramque gentem ejusque ecclesias inimicitiae, ut Britones *fidem religionemque Anglorum pro nihilo haberent neque in aliquo magis iis communicarent quam paganis* (Beda h. e. 2, 20 § 147), ut e. g. *Demetarum sacerdotes nec in ecclesia cum Anglis orationum officia celebrare nec ad mensam ciborum fercula pro caritatis gratia pariter percipere dignarentur, quin inmo fragmenta ferculorum et reliquias epularum lurconum canum rictibus et immundis devorandas porcis projicerent, vascula quoque et fialas . . . . cineribus expianda purgandaque praeciperent; et si quilibet de Anglis ad eos habitandi causa perrexissent, non prius ad consortium sodalitatis suae adsciscere dignarentur, quam quadraginta dierum spatia in poenitendo peragere compellerentur* (Aldhelmi ep. ad. Ger. Jaffé, Biblioth. rer. Germ. III ep. 1 p. 28 et 29).

Soli septentrionales Britones, qui Romani dicebantur (vid. supra p. 13) minus infesti erant Anglis. Iidem per triginta annos Nordanhymbrorum Anglorum imperio subjecti erant (ann. 657—685 cf. Skene I, p. 267) et una cum Anglis Cudberctum, clarissimum illum abbatem et postea episcopum, qui natione Hibernus (Skene II, p. 205) tamen Romanorum moribus optime cupiebat, jam vivum sanctum paene venerabantur (Skene II, p. 206 sqq.). Unde, ut opinor, factum est, ut hi, quanquam anno 685 libertatem recuperaverant, tamen paullo post mortem Cudbercti († 687) primi omnium Britonum admonente Adamnano abbate Hiiensi (Beda h. e. 5, 15 § 402) Romanorum pascha ultro reciperent (quonam anno hoc factum sit, discrepat inter scriptores: „*probably*“ 704 H. and St. II, 1 p. 3 et 6; 688: Skene II, p. 219 cf. infra). Inde Sedulius „*episcopus Britanniae de genere Scotorum*“, qui anno 721 concilio a Gregorio papa in urbe Roma habito interfuit (H. and St. II, 1 p. 7), non sine

aliquo jure putari potest horum Britonum episcopus (H. and St. l. c. Skene II, p. 29).

Ceteri Britones Romanae ecclesiae non prius quam regno Anglorum adunati sunt. Quod ita futurum esse apparuit jam anno 705. Quo anno (cf. H. and St. III, p. 268) cum Aldhelmus, abbas Malmesburensis jubente synodo[1] in finibus occidentalium Saxonum congregata Geruntio regi Damnoniae litteras misisset (Jaffé, Bibl. rer. Germ. III, ep. 1), quibus ipsum regem et Britones ei subditos ecclesiae Romanae reconciliaret — verbis, credo, asperioribus (cf. Bright p. 421) — adeo operam perdidit, ut nulli Britonum verbis ejus obtemperarent nisi ii, qui occidentalibus Saxonibus jam subjecti erant (i. e. ei, qui incolebant regionem, cui hodic nomen est *Somerset*, Beda h. e. 5, 18 § 410), ii autem Britones qui libertate etiam tunc fruebantur *domestico sibi odio gentem Anglorum et totius ecclesiae statum pascha impugnare* pergerent (Beda h. e. 5, 23 § 451) — donec Egbertus rex bellis anno 813, 823, 825 gestis Damnoniam regno suo et ecclesiae Romanae adjunxit (vid. H. and St. I, p. 673 sq.).

Similiter in Cambria, cujus episcopi jam intra annum 755 et 809 vi coacti a Saxonibus[2] partim Romanum pascha acceperant, schismati simul cum libertate ab eodem Egberto anno 816 finis impositus est.

Ex his omnibus cum appareat controversiam inter Anglorum et Britonum ecclesias potius fuisse bellum inter hasce duas gentes, manifestum est dissensionis ecclesiasticae amplitudinem nos non posse metiri controversiae acerbitate. Inter ecclesias Britonum et Anglo-Saxonum dissensio non erat nisi de computatione festi paschalis et de nonnullis ritibus ecclesiasticis.

Ergo nequaquam pro fide, vix pro moribus, certo pro libertate Britones cum Saxonibus pugnaverunt.

Longe aliter judicandum est de controversia inter Scotorum et Anglorum ecclesias. Quanquam enim permulta communia fuisse ecclesiae Scotorum et Britonum nemo est, qui neget, tamen, qui fuerint utriusque mores, plane cognosci non potest si — quod plurimis placuit, non vero viris doctissimis H. and St. et nostro Schoellio sed proh dolor! ipsis viris summa doctrinae laude dignis, Brightio et Warrenio — una et eadem commentatione

---

[1] Hanc synodum eandem esse, cui Winfridum interfuisse refert Willibaldus vit. Bon. Jaffé, Bibl. rer. Germ. III, p. 439 sine justa causa opinati sunt H. and St. I, p. 674 not. b.

[2] Brut y Tywysogion (de quo libro vid. Lappenberg, Gesch. von Engld. p. XLIII) a. d. 755: *easter was changed in Gywnedd* (cf. supra p. 13) *by the advice of Elvod, bischop of Bangor, but the other bischops did not concur therein; on which account the Saxons invaded the Cymry in South Wales (H. and St. I, p. 204 translatum ex sermone Celtico).*

de utraque ecclesia disseritur[1]. Nam similes sunt multis, dissimiles pluribus hae duae ecclesiae.

Eadem erat, ut quantum sciamus — nam qui fuerit apud Scotos consecrandarum ecclesiarum mos prorsus nescimus — examinem seriem rerum supra expositarum, eadem, inquam, erat festi paschalis computatio, eadem tonsurae forma, similes, ut putatur, ordinationis ritus — sed alii erant ritus celebrandae eucharistiae, alius baptizandi mos. Praeterea nonnulla inveniemus Scotorum propria, quae apud Britones non reperiuntur. Totam enim, ut dicam quod potissimum est, Scotorum ecclesiam inveniemus monasterii quasi speciem praebentem, monachos fuisse reperiemus episcopos et omnes paene sacerdotes eosque omnes — non exclusis episcopis — nonnumquam subditos abbati-presbytero.

Nil horum apud Britones: famosi illi presbyteri et abbates in Britonum ecclesia non inveniuntur (cf. H. and St. I, p. 143); episcopatus formam et hierarchiae statum — excepto eo quod archiepiscopatus vestigia non occurrunt — alia fuisse apud Britones atque in omnibus ejus aetatis ecclesiis nil est, quod indicet. Denique — quod maximum est — longe alia atque inter Britones et Anglos ratio intercedebat inter Anglos et Scotos. Nam Britonum gens infestissima erat Anglo-Saxonibus, Scotorum gentem *nationi Anglorum semper amicissimam fuisse* testatur Beda (h. e. 4, 26 § 340). Unde factum est, ut controversia inter Scotorum et Anglorum ecclesias acerba vix esset et celeriter componeretur.

Sed rem ipsam aggrediamur.

Ecclesiae Hiberno-Scotorum

historia usque in saeculi duodecimi tempora fabulis ita est obscurata, ut adhuc de multis saeculis vix quicquam certi affirmari possit. Sed nobis de hoc toto temporis spatio disserere in animo non est. Nam etsi controversiae illius inter ecclesiam Scotorum[2] et Romanorum rara vestigia posterioribus quoque temporibus nonnumquam occurrunt, tamen saeculo octavo ipsa

[1] Ebrardus Britonum Scotorumque ecclesias adeo confudit, ut Columbanum, Luxoviensem, natione Hibernum, Bancorensis monasterii in Hibernia discipulum, educatum esse fingeret in monasterio Bancorensi *„in Wales"* p. 16.

[2] Scotos appellatos esse veteres Hiberniae insulae incolas inter omnes constat (cf. Skene I, p. 137), sed dubium est, quando hi Scoti occupaverint illam occidentalis Albaniae i. e. Scotiae hodiernae partem, quam certe medio saeculo sexto obtinebant. Fama anno circiter 500 hoc factum esse perhibet (Skene I, p. 139 sq.).

controversia composita est. Ergo ultra saeculum octavum non progrediemur.

Haec priora ecclesiae Scotorum saecula duabus aetatibus comprehenduntur, una primordiorum usque ad Columbae, abbatis Hiiensis, tempora (ca. 565), altera inde ab anno 565 usque ad saeculum nonum. Utriusque hujus aetatis historia scribi nequit, nam nisi de paucis sanctis et de paucis ecclesiae partibus certi aliquid non constat. Quod nobis minus dolendum est quam rerum scriptoribus, cum jam ex iis, quae de singulis viris vel de singulis ecclesiae partibus tradita sunt, quae fuerit universae ecclesiae natura, cognosci liceat. Itaque cum in alterius de qua diximus, aetatis priore parte duo potissimum viri, Columba Hiiensis et Columba Luxoviensis ex umbraculis procedant, in altera autem parte de una ecclesiae parte, Nordanhymbrorum ecclesia, plura constent, primum de primordiis, deinde de Columba Hiiensi, tum seposito ad tempus Columba Luxoviensi, quippe qui ex patria emigraverit, de Nordanhymbrorum ecclesia, postremo de Columba Luxoviensi et de iis, qui cum eo vel post cum in Gallia et Germania peregrinabantur, disserendum nobis erit.

Primordiis

igitur, de quibus primum dicendum est, tam densae tenebrae offusae sunt, ut perdifficile sit de hac priore aetate disserere. Facile esset, si acquiesceremus refutanda eorum opinione, qui contendunt antiquissimam jam Scotorum ecclesiam cum catholica non in omnibus consensisse. Nam nullum exstat ullius dissensionis testimonium neque ipsi aliis argumentis utuntur nisi desumptis ex posteriorum temporum rebus. Hanc autem perscrutandae antiquitatis rationem fallacissimam esse hoc quoque loco ex iis apparet, quae certo scimus de ecclesiae Scotorum primordiis. Constat enim inter omnes Patricium, natione Britonem, Scotorum haberi apostolum, neque, ut postea videbimus, fictum est eum priore saeculi quinti parte fidem christianam in Hiberniam attulisse. Ergo cum Britonum ecclesia ea ipsa aetate cum Romana ecclesia omnino consentiret, Scotorum quoque antiquissima ecclesia a Romanis dissentire non potuit. Immo tantum abest, ut antiquissima Scotorum ecclesia cum Romanis non consenserit, ut verisimile sit, fidem christianam non sine opera pontificum Romanorum in Hiberniam allatam esse. Quod ut comprobem, necessarium putavi paullo verbosius de ecclesiae Scotorum primordiis disserere.

Fuerunt vero in Hibernia anno circiter 431 nonnulli, qui sine opera Romanorum, ut videtur, ad christianam fidem transiissent, sed perpauci erant, nam eodem ipso anno teste Prospero (Chron. op. editio Bassani 1782 I, p. 401; H. and St. II, 2 p. 290)

ad Scotos in Christum credentes ordinatus a papa Coelestino Palladius primus episcopus mittitur, et usque ad hunc ipsum annum barbaram fuisse Hiberniae insulam idem scriptor testatur dicens (contr. Coll. XXI op. I, p. 197. H. and St. I, p. 16): *ordinato Scotis episcopo* [Coelestinus] *dum Romanum insulam* [Britanniam cf. supr. p. 10] *studet servare catholicam, fecit etiam barbaram christianam.* Quae Prosperi, utpote Coelestini aequalis, de misso Palladio narratio fide dignior esse mihi videtur, quam quae tota possit vocari in dubitationem (Schöll p. 77 cf. supra p. 24). Uni ergo Hiberniae apostolo cum episcopo Romano consuetudinem fuisse constat. Infecta re illum uno transacto anno revertisse Prosperus, quem hoc, si factum esset, fugere non potuit, nequaquam narrat, immo primum Hiberniae episcopum Palladium appellavit et opera ejus insulam barbaram christianam factam esse censuit. Itaque non licet putare illud ipsum, de quo Prosperus verba non fecit factum esse nisi iis, qui haud ita multo post missum Palladium ab eodem Coelestino Patricium in Hiberniam missum esse sibi persuaserunt. Hanc ob rem, priusquam plura dicamus de Palladio, quaerendum est nobis, quomodo se habeat Patricius.

Male profecto se habet nostra de Patricio notitia. Quicumque enim paullum laboraverint in adumbranda Patricii vita, mox invenient multas res, quae maximi momenti sunt ad judicandum de Patricii historia adeo adhuc esse sub judice, ut viri docti non solum alius hoc alius illud affirmet, sed etiam idem aliud alio tempore (e. g. Schöll, dissertatio 1851 et Herzog, R. E. s. v. Patricius. 1858), neque hunc scriptorem putabis omnia dixisse, si legeris illum, nam prior omisit, de quibus posterior plura fecit verba. Quo factum est, ut omnes, qui de Patricio disseruerunt neque ipsi totam rem plane intelligebant, errores non vitaverint[1]. Itaque neque ego, cum non omnes

---

[1] Ebrardus, cum librum suum conscriberet, idonea historiae Patricii scientia prorsus caruit. Duo sufficiant testimonia. De Patricii confessione, quam praeter necessitatem (cf. Loening II, 413 not et H. and St. II, 2. 296 not.) in appendice ex Act. SS. transscripsit, dixit: *„in einem einzigen Ms. des monasterium Sti. Vedasti vorhanden“* nesciens adhuc plures exstare codices eorumque celeberrimum in libro Ardmachano. Ergo ne tenuissimam quidem auditionem accepit de hoc libro, de quo infra dicendum est, quin etiam ne id quidem legit, quod Schoellius non dicam in dissertatione p. 68 sed in Herzog R. E. Bd. 11 de codicibus disseruit. Quod qui cognoverit, non mirabitur, quod una sola ex permultis Patricii vitis eaque omnium paene postrema Ebrardo nota fuisse videtur (cf. Ebrard p. 10) — videlicet ea, quae sola exstat in Act. SS. Boll. Mart. 17 p. 540 sqq. His vero Actis SS. ita usus est, ut commentarium praevium Bollandistae non legeret, — alioquin de aliis vitis audivisset. — Quo tandem jure Ebrardus his diebus (Bonifatius. 1882) ludibrio sibi habet *doctum suum adversarium* Fischerum?

libros, quos libentissime legissem inprimis Toddii de vita Patricii librum (cf. supra p. 4) adipisci potuerim, audeo sperare, me posse ab erroribus mihi cavere, et fore ut etiam iis paucis plane satisfaciam, qui sua ipsorum opera rem funditus pertractaverunt. Dummodo, quae potissimum mihi videntur esse observanda, ne omnino vana sint, dummodo satisfaciam proposito meo, ut, quae fuerit ecclesiae Hiberno-Scotorum natura, investigem.

Omissis igitur omnibus, quae scire nostra hic non interest, id solum quaeramus, utrum cum pontifice Romano Patricio fuerit necessitudo, necne. Quam rem ut dijudicare possimus, proficiscentes a posteriorum temporum testimoniis ad vetustiora ascendamus. Itaque primum de vitis Patricii dicendum est. Ex omnibus, quotquot unquam fuerunt — sexaginta sex de Patricii gestis libellos exstitisse, antequam Normanni Hiberniam ferro ignique devastarent, prodidit Jocelinus vit. Patr. c. 18 nro 163 (Act. SS. Boll. Mart. 17 p. 578) — hae exstant:

1. Quae in libro Ardmachano exstant vitae omnium antiquissimae, nam liber Ardmachanus (Trinity-College Dublin. ed. Sir W. Betham, Irish antiquarian researches II. 1827), quem Schoellius (diss. p. 63) putabat *inchoatum esse sub X saeculi finem, XII autem finitum*, anno circiter 807 exaratum esse nunc tandem docti viri consentiunt (cf. Skene II, p. 14 et 423; Warren p. XIV. H. and St. II, 2 p. 296 not).
2. Vita attributa Marco anachoretae saec. IX, addita historiae Britonum, quae perperam dicitur, Nennii ed. Stevenson 1838, § 50—55 (cf. Skene II, p. 433).

3—9 vitae illae, quas primus edidit Colganus (Acta SS. Hiberniae vol. I, Trias Thaumaturga 1645 [1], vulgo, quia maximam in partem sine nominibus scriptae sunt, nominatae ex ordine illo, quo Colganus eas edendas curavit:

3. Vita Colg. I: Hymnus, qui dicitur Fieci (apud H. and St. II, 2 p. 356 sqq. et Hibernico sermone et conversus in Anglicanum transscriptus ex Stokes, Goidelica. 1874 p. 129 sqq.; hibern. apud Windisch, Irische Texte. 1880 p. 10 sqq.) cum scholiis veteris cujusdam explicatoris (saec. XI ut putatur). De hoc carmine infra plura.
4. Vita Colg. II } utraque intra annum 807 et circiter 1000
5. Vita Colg. IV } conscripta (Skene II, p. 449).

[1] Quem librum, cum ipsum adipisci non potuerim — deest enim etiam in bibliotheca regia Berolinensi — omnia quae de iis vitis, quae apud solum Colganum exstant, scitu opus erant, quantum potui ex eorum libris, qui ipso Colgano usi sunt, contuli. Sed cum, ut ipse lector videbit, earum vitarnm auctoritas paene nulla sit, spero fore, ut hoc mihi vitio non vertatur.

6. Vita Colg. III 7. Vita Colg. V, ascripta Probo cuidam 8. Vita Colg. VII, opus tripartitum	post annum 1000 compositae (Skene II, p. 449 not. 39) sed Jocelini vita (infra 9), ut quidem Skenius judicat, priores.

9. Vita Colg. VI, a Jocelino anno 1185 conscripta, — Act. SS. Boll. Mart. 17 p. 540 sqq.
10. Vita Colgano non jam cognita Hibernico sermone conscripta, Jocelini temporibus junior, quae exstat in codice academiae regiae Dublinensis, qui dicitur Lebar Brecc, exeunte saec. XIV (Warren) vel saeculo XV (Stokes) exarato, primum typis expressa in libro, qui inscribitur: *Three middle irish homilies on the lives of Saints Patrick, Brigit and Columba ed. by Whitley Stokes (one hunderd copies privately printed). Calcutta 1877*[1].

Ex his vitis omnes, quas secundo, quarto et sequentibus locis enumeravimus, nituntur iis, quae in libro Ardmachano exstant. Itaque neglectis illis his perscrutandis operam demus. Ac primum quidem — quantum fieri potest — singula testimonia discernamus:

1. Vita Muirchui Maccumachtenii. — Prima enim libri Ardmachani folia (Betham II, appendix p. I—XVII) continent vitam quandam Patricii sine nomine scriptam vel amissa priore primi libri parte mutilatam. Hanc a Muirchuo quodam conscriptam esse sagacissime viri docti suspicati sunt (cf. Skene II, p. 15 not. 23). Nam quae alio codicis loco (Betham II, app. p. XLIII sq. cf. infra post 11) reperiuntur „*capitula*“ vel „*annatationes Aidi*“ nil aliud esse quam primi vitae illius libri argumentum manifestum est. Itaque cum in extremis his capitulis, quorum praefatio inscripta est Aido episcopo Sleptiensi († 698 cf. Skene II, p. 15), inveniatur hoc scriptum: *haec pauca .... Muirchu Maccumachteni dictante Aido Sleptiensis civitatis episcopo conscripsit*, apparet vitam illam huic Muirchuo exeunte saeculo septimo viventi esse attribuendam, saltem attributam in libro Ardmachano.

[1] Maximam gratiam habeo viro doctissimo Ernesto Windischio, nostrae universitatis Lipsiensis professori, qui mihi et alios et hunc librum, ipsi ab auctore dedicatum atque inscriptum utendum dedit, etsi inveni ipsam vitam commemoratione vix dignam esse. Quo tempore composita sit partim ex verborum formis definitur (Stokes p. VIII: intra saec. XI et XV) partim ex eo, quod auctor videtur cognovisse Jocelini vitae c. 18 nro. 163 (vid supra p. 32). Dixit enim: „*What God wrought of wonders and miracles for the holy Patrick are overmany to recount or declare; for there were sixty and seven* (i. e. 66 et Jocelini vita) *written of them, and still they are not all*“ (Stokes p. 13).

2. Quatuor annotationes sine nomine scriptae — Betham II, app. p. XVII sq.
3. Dicta Patricii, quae his verbis scripta sunt: *Timorem dei habui ducem itineris mei per Gallias atque Italiam etiam in insolis, quae sunt in mari Terreno. De saeculo requissistis (?) ad Paradissum deo gratias aecclesia Scotorum immo Romanorum, ut Christiani ita ut Romani sitis* et cetera leviora (Betham II, app. p. XVIII).
4. Tirechani annotationes (Betham l. c. p. XVIII—XXXIV [1]), *quas scripsit ex ore vel libro Ultani episcopi cujus ipse alumnus vel discipulus fuit* (l. c. p. XVIII cf. in ipsis annotationibus p. XIX „*testante mihi Ultano episcopo*"). Hae annotationes, si fides ipsi auctori est habenda, cum Ultanus anno 657 obiisse tradatur (Skene II, p. 425 not. 13), eodem fere tempore conscriptae sunt, quo Muirchui vita scripta esse dicitur. Neque quicquam habemus, cur auctori fidem abrogemus nisi illud p. XIX: *a passione autem Christi colleguntur anni 436 usque ad mortem Patricii.* An exeunte saeculo septimo Hibernos tali temporum descriptione usos esse putas? Sed quid obstat, quominus putemus adjecta esse verba illa ab eo qui librum Ardmachanum conscripsit? Immo cum sermonis contextum discindant, pro certo res habenda est.
5. Petitiones Patricii. Betham l. c. p. XXXV.
6. „Aetas Patricii" — ipsius annis descripta hoc modo: *VII anno baptizatus est, X anno captus* etc. Betham l. c. p. XXXV. Haec verba — apud Bethamium l. c. p. XXXV errore typographico insuper corrupta cf. Betham II, p. 386 — a Tirechano certo conscripta non sunt, quia repugnant iis, quae in ipsis annotationibus Tirechanus scripsit. Nam hic scriptum est „*72 annos docuit*" (cf. Betham II, p. 386), illic Tirechanus refert (p. XIX) Patricium in Hiberniam venisse secundo regis Logairi anno et mortuum esse duobus vel quinque annis ante eundem regem, qui 33 annos regnavisse putaretur.
7. Quatuor similitudines, quae Patricio cum Mosi erant (Betham l. c. p. XXXV).
8. Annotatio de loco ubi Patricius sepultus est (Betham ibidem).

Hae duae annotationes sibi invicem repugnant, nam *ubi ossa ejus sint neminem novisse* testatur 7, contra 8 *ubi sepultura Patricii esset* Columbae Hiiensi revelatum esse confirmat. Itaque ab eodem scriptae non sunt (cf. Skene II, p. 432).

9. Annotatio de Palladio et Patricio a Coelestino papa missis

---

[1] Equidem Tirechani librum extrema p. XXXIV terminari perpersuasum mihi habeo.

sic scripta (Betham l. c. p. XXV sq.): *XIII anno Theotosii Imperatoris a Celestino episcopo Papa Romae Patricius episcopus ad doctrinam Scotorum mittitur, qui Celestinus XLII episcopus a Petro apostolo in urbe Romae. — Palladius episcopus primo mittitur qui alio nomine Patricius appellabatur, qui martyrium passus est apud Scotos, ut tradunt sancti antiqui. Deinde Patricius secundus ab angueli dei Victor nomine et Celestino papae mittitur, cui Hibernia tota credidit, qui eam paene totam baptizavit.*

10. Alia leviora de honore Patricio debito (Betham l. c. p. XXXVI).
11. „Alia pauca serotinis temporibus inventa suisque locis narranda“ et ipsa annotationum more conscripta non vitae idque partim Hibernico partim latino sermone (Betham l. c. p. XXXVI—XLIII et anglicane reddita ib. p. 393—412; majore diligentia et edita et in Anglicanum conversa apud Stokes, Goidelica ed. 2. 1874. p. 83 sqq.). Quae a quonam conscripta sint, nescimus, neque Tirechanum, ut vulgo putatur, neque Muirchuum (Stokes p. 84) auctorem fuisse licet affirmare, sed quando composita sint, non latet, nam ineunte saeculo octavo priores non esse has annotationes luculentissime comprobant nomina episcoporum, de quibus fit mentio (cf. Stokes p. 83).

(12) „Capitula“ vel „annotationes Aidi“ (Betham l. c. p. XLIII sq.) vid. supra nro 1.

12. Liber Angeli (Betham l. c. p. XLIV—XLVIII), quem Skenius, cum de eo verba non faciat, haud scio an partem vitae Muirchui judicaverit. Certo cujusdam libri pars est, non ipse integer quidam libellus, neque de Patricii vita in hoc libro quicquam inest nisi sermones, quos cum angelo quodam Patricius habuisse dicitur et alia maximam in partem leviora.

Ex his de Patricio testimoniis ea, quae 5, 6, 7, 8, 10 loco posuimus, nil momenti afferunt eaque de causa neglegentur. Postrema autem quatuor illarum annotationum supra sub 2 commemoratarum etsi Patricium aliquando Romae fuisse docet, — nam ibi Feredachum quendam a Patricio in sacerdotum numerum receptum esse narrat — tamen et ipsa, quia obscurior est, et antecedentes tres levissimae itidem neglegendae sunt. Neque de libro Angeli plura dicam, quia nil momenti affert ad adumbrandam Patricii vitam. Certo vero non impedit, quominus Patricium Romae fuisse putemus, nam finxit vel refert Patricium *decrevisse* omnes causas graviores *ad sedem apostolicam esse mittendas i. e. ad Petri apostoli cathedram auctoritatem Romae urbis finem (?)* (Betham II, app. p. XLVIII). Itaque de Muirchui vita, de dictis Patricii, de Tirechani annotationibus, de anno-

tatione de Patricio et Palladio, de annotationibus Hibernicis disserendum erit.

Ac primum quidem de annotatione de Patricio et Palladio. Haec, cum ante annum 807 conscripta sit (vid. supr. de libro Ardmach. p. 32), testimonio est ineunte saeculo nono Scotos putavisse Patricium missum esse a Coelestino papa. Quomodo missus sit i. e. utrum ipse Coelestinus Romae, an alius jussu papae alio loco Patricium episcopum consecraverit, ipsa annotatio non explicavit, tamen ab hac annotatione repetenda est origo earum narrationum, quas posterioris temporis vitae Patricii exhibent narrantes ab ipso Coelestino Patricium in episcoporum numerum esse receptum (sic ex vitis supra p. 32 sq. commemoratis vitae sub 5—10 enumeratae). Quae cum ita sint, apparet quam perperam Schoellius, cum eadem de Patricio a Coelestino papa consecrato narratio exeuntis saeculi noni temporibus etiam in Gallia occurrat apud Heiricum Autissiodorensem (Miracula Germani Act. SS. Boll. Julii 31 c. II, 21 p. 259), opinatus sit (Herzog R. E. 11 p. 208) narrationem illam de Patricio Roma misso in Gallia esse confictam. Immo, cum Heiricus Scoti cujusdam discipulus fuisse tradatur (vid. Wattenbach, Geschichtsquellen. 4. Aufl. I, p. 244) ipsa Heirici narratio comprobat Scotos tunc putasse Patricium, Germani amicissimum, ab ipso Coelestino consecratum Roma ex urbe missum esse in Hiberniam. Itaque quid mirum, quod ea ipsa vita Patricii, quae his fere temporibus conscripta est (Colg. IV supra p. 32, 5), cum Heirici narratione consentit etiam de Germano Patricium Romam mittente?

Alias res Muirchui vita, a qua vita Colg. II (supra p. 32, 4) et historiae Britonum quae addita sunt Patricii acta (supra p. 32, 2) profecta sunt[1], memoriae prodidit. Narrat enim Patricium ab Hibernia profectum, *ut videret sedem apostolicam et disceret sapientiam* (Capit. Aidi. Betham II, app. p. VLIII) venisse in Galliam ad St. Germanum. Ubi cum moraretur cum sociis Auxilio, Isernino, aliis, famam esse allatam de Palladio Romam reversuro et in Britonibus mortuo. Quo nuntio audito Patricium receptum ab episcopo Amathorege (cf. Skene II, p. 431 not. 19) in episcoporum numerum in Hiberniam rediisse, ut Palladii opus exciperet. Itaque teste Muirchuo Patricius omnino Romae non fuit.

Contra Tirechanus, qui de Palladio et Coelestino omnino verba non fecit, quamquam et ipse ex Gallia ad Hiberniam navem

[1] Tamen utraque vita Muirchui narrationem ita mutavit, ut Patricium cum episcopo Romano arctius conjungeret, nam prior jussu papae Patricium ab Amathorege consecratum esse narrat (Schöll, Herzog R. E. 11 p. 207), altera Romam eum perrexisse addidit (Nennius, hist. Brit. § 50).

appulisse Patricium putavit — nam *cum Gallis* in Hiberniam eum pervenisse testatur (p. XIX) — tamen prioribus aetatis suae temporibus Patricium *navigasse per Gallias atque Italiam totam atque in insolis, quae in mari Terreno* sint asseverat, quin etiam ipsius Patricii scripta huic rei testimonio esse affirmat adjiciens „*ut ipse dixit in commemoratione laborum*“ (Bétham II, app. p. XIX). Et ea ipsa Patricii dicta, ad quae Tirechanus provocavit, saltem similia exstant in libro Ardmachano et supra inde jam transcripta sunt (p. 34).

Denique annotationes Hibernicae utrum cum Tirechano an cum Muirchuo congruant, disceptari non potest, nam de variis illis, quibus Patricius, antequam in Hiberniam veniret, jactatus est, casibus in hoc libro omnino nil inest. Et quae de Patricio apud St. Germanum morante et ex Gallia in Hiberniam misso narrantur his verbis casu quodam latinis: *Patricius et Iserninus cum Germano fuerunt in Olsiodra civitate* (= Autissiodorum). *Germanus vero Isernino dixit ut praedicare in Hiberniam veniret atque prumptus fuit oboedire in quamcumque partem mittetur nisi in Hiberniam Germanus dixit Patricio et tu an oboediens eris — Patricius dixit fiat sicut vis Germanus dixit hoc inter nos erit et non potuerit Iserninus in Hibernia nec transire — Patricius venit in Hiberniam Isernini vero etc.* — et Tirechani et Muirchui narrationi quadrant. Itaque de his annotationibus amplius dicendum non erit.

Triplex igitur in libro Ardmachano de Patricio est memoria; vel potius duplex. Nam quae de Palladio et Patricio a Coelestino papa missis narrantur minime sermone patrum prodita esse, sed ex Prospero vel Beda, qui Prosperi narrationem transscripsit (h. e. l. 13, § 32), in Patricii historiam translata esse et ipsa verba annotationis illius luculentissime demonstrant et Muirchu et Tirechanus, cum de Coelestino Patricium mittente nil dicant, tacentes comprobant. De Muirchuo igitur et Tirechano potissimum disserendum est.

Exsistit enim quaestio, utrum Muirchui an Tirechani narratio priorem fabulae de Scto Patricio formam exhibeat. In qua quaestione — proh dolor! — ipsorum scriptorum aetas, siquidem fides habenda est praefationi, quae capitulis Aidi inscripta est (vid. supra p. 33), momentum facere nequit, nam etsi Tirechanus paullo ante Muirchuum videtur scripsisse, tamen fere aequales sunt habendi. Nihilosecius dubitari non potest, quin Tirechani narratio longe vetustior sit quam Muirchui. Nam primum omnino, quae Tirechanus narrat, simpliciora sunt et miraculis minus deformata; tum Tirechanus non jam cognoverat Prosperi narrationem, qua Muirchuum usum esse apparet; deinde Tirechanus Patricium 29 vel 26 annos in Hibernia verbum dei

praedicasse prodidit (cf. infra), Muirchu autem sicut posterioris temporis scriptores cum alias Patricio cum Mose similitudines fuisse tum 120 annos natum mortem eum obiisse testatur (vid. Betham II, app. p. XV et XVI), unde suspicandum est Muirchuum sicuti posteriores putavisse Patricium 60 vel 72 annos in Hibernia esse moratum; denique Muirchui narratio: Patricio cupienti videre sedem apostolicam et discere sapientiam in animo fuisse Romam proficisci — adeo fabulae fictae speciem praebet, ut facile tibi persuadeas, Tirechanum, etsi non ita multo ante Muirchuum scripsit, tamen fabulam iis, quae Muirchu enarrat, multo vetustiorem consignasse litteris.

At unde factum est, ut Muirchu de Patricii itinere per Gallias et Italiam verba non faceret?

Perdifficilis haec quaestio, praesertim cum, quae Muirchu de Patricii juventute et servitute narraverit, nisi ex capitulis Aidi nobis notum non sit, neque spero me posse hanc quaestionem ita solvere, ut etiam nolentibus persuadeam. Duplicem autem proponam rationem, qua nescio an quaestio illa solvatur. Nam aut ignorantia aut de industria Muirchu de itineribus illis verba non fecit.

Ignorantia factum esse nobis, si placeret, putare liceret, quia ipse Muirchu *parva peritia, incertis auctoribus, memoria labili, attrito sensu librum* suum se conscripsisse confitetur (Betham II, app. p. XLIII). Tamen et quia vix credibile est Muirchuum ne tenuissimam quidem auditionem accepisse de Patricii itineribus per Galliam et Italiam et quia cum fabula illa de Patricio Romam adire cupiente tum verba, quae in extremo Muirchui libro exstant prioribus paene contraria haecce: *P. colloquiis fruebatur anguelicis, antequam de Scotia ad Latinos pergeret* (Betham II, app. p. XVII) testimonio esse possunt Muirchuum fama quantumvis incerta de Patricii itineribus audivisse, — ob hasce causas verisimilius mihi videtur esse Muirchuum de industria verba non fecisse de illa re.

Adminiculo esse potest huic opinioni dicendi genus, quo Muirchu usus est. Audias haecce in capitulis Aidi scripta (Betham l. c. p. XLIII): *De aetate ejus quando iens videre sedem apostolicam voluit discere sapientiam.* — *De inventione sancti generis in Galliis et ideo non exivit ultra.* — et dicas, nonne Muirchu ipsis iis verbis, quorum illa praebent argumentum, videatur explicasse non opus fuisse itinere Romano. Praeterea in ipsa vita scripta sunt (p. II) haecce: *P. venit* (ex Gallia) *in Britannias et omissis omnibus ambulandi anfractibus praeter commone viae officium nemo enim dissidiae quaerit dominum*[1] *cum omni velo-*

[1] Quae verba annon recte verterit Bethamius II, p. 307: *for no sincere one seeks the Lord in vain,* dubito, sed non audeo pro certo

citate flatuque prospero mare nostrum contendit et (p. XV) alia, obscuriora quidem illa, quam ut asseverare audeam de itinere Romano in illis fieri mentionem, haecce: *Victor erat angelus, qui Patricium saepe visitare solebat et Victor alterum anguelum ad Patricium prohibendum ne perget quo pergere cupit missit et dixit illi, quare proficisceris sine Victoris consilio* . . . (cf. p. XVII *anguelicis conloquiis fruebatur antequam de Scotia ad Latinos pergeret).* Nonne his quoque verbis dedita opera Muirchu videtur negasse Patricium pervenisse Romam? Id quidem suspicari licet Muirchuum episcopo Romano haud ita bene cupiisse. Alioquin an scripsisset de Palladio a Coelestino misso: *prohibuit illum* [om. deus], *quia nemo potest accipere quicquam de terra nisi datum ei fuerit de coelo* . . . . *reversus est ad eum, qui missit illum* (Betham II, app. p. I)? Attamen fraudationis Muirchuum accuses nolim. Immo putem jam tunc fuisse nonnullos, qui fingerent Patricium pro Palladio vel post Palladium Roma ex urbe esse missum. Quibus cum Muirchu vellet obsistere, averso animo a variis illis casibus, quibus Patricius antequam ex Gallia in Hiberniam veniret jactatus est omnes cogitationes nimis fervide videtur intendisse ad diluendam illorum opinionem.

Sed quoquo modo res sese habet cum Muirchui narratione, hoc pro certo possumus affirmare saeculi septimi altera parte, cum Tirechanus scribebat, in Hibernia fuisse permultos, qui Patricii itinera *per Galliam atque Italiam totam* firmissimis testimoniis, ipsius Patricii scriptis, haberent comprobata.

Verum enimvero ipsa illa dicta Patricii ficta esse possunt, idque in Hibernia meridionali, quippe quae prima omnium totius Hiberniae regionum anno 634 societatem inierit cum Romanis (vid. infra). Suspicionem enim movet, quod permulta tunc temporis ficta sunt dicta Patricii, quae illum Romanis favisse demonstrarent. Ex quibus hoc unum commemorare satis sit, quod in canonibus Hibernicis nuper primum in lucem editis (*Die irische Canonensammlung.* Herausg. von Wasserschleben. Giessen 1874) anno circiter 700 conscriptis (Wasserschleben p. VI, p. XVII, 2 et XVIII, 3) Patricius non solum dicitur decrevisse, ut *si quae quaestiones in hac insula oriantur, ad sedem apostolicam referantur* (lib. XX, 5 Wasserschl. p. 73 cf. supra quae ex libro Angeli transscripsi p. 35) sed etiam constituisse haecce: *si quis clericus, cujus capilli non sunt tonsi Romano more, debet excommunicari* (lib. LII, 7. Wasserschl. p. 242). Fictum esse alterum illud dictum argumentis confirmare opus non est. Sed juvat commemorare luculentissimum exstare testimonium, quod

---

affirmare *dissidiae* illud positum esse pro verbo *dissidii* et *dissidii dominum* dictum esse episcopum Romanum.

multa tunc Patricio afficta esse comprobet. Exstant enim duarum synodorum statuta Scto Patricio ascripta in ipsis codicibus (H. and St. II, 2 p. 328 sqq.). Quae etsi in Hibernia videntur esse conscripta, tamen perperam Patricio attribui jam diu non defuerunt, qui contenderent. Hodie dubitationibus locus non relinquitur. Canones enim Hibernici, quanquam prioris synodi statuta maximam in partem Patricio attribuunt (e. g. lib. XXXIV, 6 = Wasserschl. Ir. Can. p. 145 = syn. Patr. I, 8 H. and St. II, 2 p. 328) tamen cum prioris unum, nisi plura me fugerunt (XXXIII, 1 p. 140 = syn. P. I, p. 329) tum alterius omnia statuta, excepto uno (XXXVI, 8 p. 153 = syn. P. II, 30 p. 338), quod *„synodus dixit“* inscriptum est, *„synodo Romanae“* ascribunt (e. g. II, 23 p. 22 = syn. P. II, 2, p. 333 et simili non eadem ratione XII, 15 p. 44 = syn. P. II, 14 p. 335).

Itaque quo meliore jure quispiam contendat ficta esse etiam ea, quae Tirechani temporibus de itineribus Patricii per Galliam atque Italiam totam ipsius circumferebantur dicta, eo diligentius quaerendum nobis est, quaenam altera saeculi septimi parte priora exstent de Patricio testimonia.

His num adnumerandus sit Fieci qui dicitur hymnus de Scto Patricio (cf. supra p. 32, 3) et quid ex illo hauriendum sit, haec prima exsistit quaestio, eaque gravissima. Fuerunt enim et sunt nonnulli, qui hoc carmine totam de Patricii itinere Romano quaestionem solvi atque explanari posse putent, ac quidem his carminis verbis:

He (St. Patricius) *went across all the Alps* (hib. *Elpa) — Great God! it was a marvel of a journey!*
until he staid with German in the south, in the south part of Latium (hib: *Letha).*
In the isles of the Tyrrhene sea (hib: *mara Torrian*) *he remained, therein he meditated:*
he read canon with Germain: it is this that writings declare.

Nonnulli enim, Bollandista (Mart. 17, p. 528), Leo *(Commentatio de carmine vetusto Hibernico* etc. Halis 1845, cf. Windisch, *Irische Texte*, p. 10), Windischius (Ir. Texte, p, 19) verbum *Elpa* Albaniam non Alpes, verbum *Letha* Letaviam i. e. Armoricam vel omnino Galliam septentrionalem intellegunt et in medio relicto, quid sibi velint insulae maris *Torrian,* affirmant in his versibus nil inesse narratum nisi Patricium servitute liberatum ex Hibernia primum in Albaniam, deinde in Galliam venisse ibique Autissiodori in urbe una cum Germano vixisse. Quin etiam ignorantiae Leo accusavit „posteriores“, qui nomen montanarum Scotiae regionum et civitatis Autissiodorensis non solum non intellexissent, sed ad haec nomina interpretanda fabulas maxime a vero aberrantes finxissent de Patricio per Alpes Romam

et ad insulas maris Tyrrheni profecto (cf. Windisch, p. 10 sq.). Quae sententia si vera esset, Fieci hymnus Tirechani aetate longe vetustior esset habendus, neque quomodo fabulae de Patricii itinere Romano ortae essent, amplius obscurum esset — iis videlicet, qui a verbis non recte intellectis fabulae omnibus passeribus notae originem repeti posse putent. Sed licet dubitare, annon grammatici illi — ut taceam de Bollandista — verborum formarum et structurae diligentius rationem habuerint, quam testimoniorum historiae inprimis libri Ardmachani. Ne autem vice versa historicos verborum formas neglexisse quispiam dicat, primum, num grammatica ars certi aliquid de versibus illis protulerit, quaeramus. Non protulit. Nam non solum Stokesius, vir Hibernicis litteris praeter ceteros docte eruditus, una cum vetere carminis explicatore (cf. Windisch, Ir. Texte p. 19) in aliam sententiam accepit carminis versus, ut ipsi, quales supra exstant conversi ab illo, demonstrant, sed etiam Windischius, Stokesio iisdem studiis sociatus et eadem laude sociandus, quamvis ipse Leonis interpretationi faveat, tamen alteram illam communi verborum mori repugnare ne uno quidem verbo docuit, sed duas alias attulit causas, unam geographicam alteram historicam, quae, etsi levis est neutra, tamen rem disceptare non possunt.

Levius est argumentum illud geographicum, quod mirabilius dictum esset Latium meridionale pro urbe Roma. Nam quis dixit illud Latium meridionale intellegendum esse Romam? Immo pro „Italia tota“ dictum est. Quod ipsum Windischium non fugisset, nisi neglecto libro Ardmachano solarum posteriorum vitarum inprimis Jocelini rationem habuisset.

Gravius est alterum illud historicum, quod a nullis aliis nisi ab iis, qui Fieci carmine nituntur, narraretur Patricium in insulis maris Tyrrheni Germani consuetudine usum esse. Tamen hoc argumentum idoneum non est, quod rem dijudicet. Quid enim? si poëta duas narrationes, unam similem Tirechani narrantis Patricium in una ex insulis maris Tyrrheni 30 annos commoratum esse (Betham II app. p. XIX) et alteram similem eorum fabulis, qui Patricium 30 annos cum Germano fuisse in Gallia (ita Colg. II, cf. Schoell, Herzog R. E. 11, p. 207 et fortasse jam Muirchu cf. Betham II app. p. XVII cum p. I) referunt, ita conjunxit, ut medium quiddam tenere videretur? Itaque nil obstat, quominus aliis causis iisque gravissimis commoti Windischii interpretationem rejiciamus.

Luce enim clarius est poëtam, cum diceret ea, quae ipse de Patricii itineribus narravisset, eadem esse, quae scripta declararent (vid. supra), provocasse ad eadem ipsa scripta atque Tirechanum verbis illis supra jam commemoratis hisce: *navigavit . . . per Gallias atque Italiam totam atque in insolis, quae*

sunt in mari Terreno, ut ipse dixit in commemoratione laborum. Ergo, si hymnus Tirechani temporibus vetustior esset, tamen Tirechanus haudquaquam carminis verba male intellexisset, nam et carmen et Tirechanus tertio quodam auctore usi sunt eoque, quod quidem Tirechanus putavit, ipso Patricio. Itaque, quandoquidem exstat in libro Ardmachano dictum illud Patricii supra (p. 34) transcriptum, simillimum haud dubie ei, quo et Tirechanus et Fieci, qui dicitur, hymni poëta usi sunt, permirum mihi videretur, si quis carminis verba, quae in eandem sententiam accipi possunt, tamen aliter interpretaretur Nonne duo testes sermone claro et lucido usi tertio obscuro plus valent, idque eo magis, quo facilius huic illorum sententia subjici potest? Accedit, quod paene omnia, quae — sive jure sive perperam — Patricio ascribuntur, qualia nunc exstant, latino sermone conscripta sunt, ideoque suspicandum est illud quoque Patricii, quo Tirechanus et Fieci, qui dicitur, hymnus usi sunt, latine esse dictum. Tantum igitur abest, ut Tirechanus in convertendo male intellexerit Fieci hymnum, ut potius hymni auctor accusandus sit, quod tam male Hibernice vertit dictum illud Patricii, ut de interpretandis ipsius verbis viri docti dissentire possint.

Ergo, si hymnus Fieci ab ipso Fieco, qui Patricii discipulus fuisse traditur, compositus esset, nil aliud comprobaret nisi jam tunc Patricii illud de itineribus suis per Galliam et Italiam esse circumlatum.

Sed dubium non est, quin multo post conscriptus sit. Certum est, eum altera saeculi sexti parte priorem non esse (H. and St. II, 2, p. 360 not. a), rursum, etsi alia est carminis alia historiae natura, tamen licet opinari (cf. H. and St. l. c.) eum compositum esse, priusquam fabula de Coelestino, qui Patricium misisset, apud omnes divulgata esset. Intra sextum igitur saeculum et nonum conscriptus est. Sed spero, accuratius tempus posse definiri. De qua re verba dicturus ab examinanda Skenii sententia initium faciam. Sagacissime enim Skenius, quando Fieci hymnus compositus esset, colligere studuit ex extremis paene carminis verbis hisce (H. and St. II, 2, p. 361):

When Patrick went (= obiit) *he visited the other Patrick;*
it is together they ascended to Jesus, Mary's Son.

Mirabilia haec verba. Nam quis est ille alter Patricius? Skenius (II, p. 438 sqq. et 428 sq.) alterum Patricium vel, quo nomine posteriores utuntur, „senem Patricium", cujus primam mentionem exstare putat in feriali, quod dicitur[1] Angi cog-

[1] Sed perperam, nam exeunte saeculo nono illud feriale (Felire) prius non est cf. Warren, p. XIV.

nomine Culdei ineunte saeculo nono viventis, eundem esse atque Patricium apostolum inde efficere conatus est, quod, cum Tirechanus Patricium anno 458 vel 461 mortuum esse putaret (i. e. duobus vel quinque annis ante Logairi regis mortem), posterioris temporis annales ad eundem annum senis Patricii mortem referrent ipsum Patricium apostolum anno 492 mortem obiisse rati. Originem autem variae illius rationis in describendo tempore, quo Patricius mortuus esset, adhibitae Skenius inde repetiit, quod cum Tirechanus 30 fere annos Patricium Hibernos docuisse putavisset, posteriores illius temporis spatium 60 vel 72 annis finirent. Simulatque vero Patricium anno 492 vel 493 mortuum esse Scoti sibi persuasissent, opinionem exstitisse opinatus est Skenius, alterum esse Patricium qui anno 458, alterum qui anno 492 vita decessisset. Quod cum ante saeculum nonum factum non esse opinetur, saeculo nono Fieci hymnum compositum esse censuit.

Haec tota Skenii sententia timeo ne sagacior sit, quam verior. Nam multa sunt, quae ei repugnent. Cum quod in hymno uterque Patricius eodem die mortuus esse dicitur tum omnium, qui Patricii historiae subsducuntur, calculorum et varietas et incerta origo; nam annalium, qui Patricium anno 492 vel 493 mortem obiisse referunt, antiquissimi saeculo undecimo exeunte conscripti sunt (cf. Schoell, p. 50 sq.). Praeterea mihi persuadere non possum calculorum varietatem suffecisse, ut duo Patricii fingerentur. Attamen non omnino Skenii sententiam rejicio, immo maximi momenti esse puto mentionem illam alterius Patricii. Sed puto fabulam illam de duobus Patriciis ortam non esse, nisi accessisset, quod de Palladio ex Prospero vel Beda Scoti acceperunt. Itaque de Prosperi narratione apud Scotos recepta eis, quae supra dixi, pauca addere mihi liceat.

Ex Prospero vel Beda Scotos de Palladio auditionem accepisse affirmavi, quia manifestum mihi videtur esse sermone patrum apud Scotos de Palladio nil traditum esse. Nam cum Muirchu et annotationis illius de Patricio et Palladio auctor, qui primi Palladii mentionem fecerunt, de morte Palladii non consentiant — Muirchu enim in Britannia mortuum esse narrat Palladium, hic apud Scotos martyrium eum passum esse affirmat —, apparet iis, quae annotationis auctor finxit de „sanctis antiquis“ talia de Palladio tradentibus, ne minimam quidem fidem esse habendam. Luculentissime autem eadem res inde confirmatur, quod saeculi octavi temporibus apud Scotos non videntur defuisse, qui nescientes, quid Prosperi narrationi facerent, eundem putarent Palladium atque Patricium. Unde, ut videtur, cum factum esset, ut Palladio nomen Patricius adderetur, ii, qui alium judicabant Palladium alium Patricium, inter

duos Patricios distinguere coacti sunt. Tali enim modo jam annotatio illa de Patricio et Palladio distinxit inter Palladium „*qui Patricius alio nomine appellabatur*“ et „*secundum Patricium*“, Hiberniae apostolum (cf. supra p. 35). Palladium igitur alterum illum Patricium esse opinor.

Palladium intellegendum esse etiam in Fieci hymno alterum Patricium affirmare non dubito. Ergo Fieci hymnus non prius compositus est, quam Scoti de Palladio andiverunt. Palladii autem notitiam, si revera Muirchui vita exeunte saeculo septimo conscripta est, Scoti, quia Tirechanus non jam mentionem fecit de Palladio, eo ipso exeunte saeculo septimo ideoque ex ipso Prospero, non ex Beda, acceperunt. Itaque Fieci hymnum saeculo octavo compositum esse censeo post conscriptas Tirechani annotationes et Muirchui vitam. Quae sententia compluribus confirmari potest, quae hoc uno comprehenduntur, quod cum Muirchui vita ita congruit Fieci hymnus, ut illa ipsa vita ita usus esse videatur hymni poëta, ut quae ex illa sumpserat, aliorum fabulis augeret. Nam non solum uterque Palladii mentionem facit neque tamen fabulam de Coelestino papa Patricium mittente enarrat, uterque 60 annos Patricium in Hibernia commoratum et 120 annos natum e vita profectum esse refert, sed fere omnia quae carminis versibus 43—61 continentur invenies apud Muirchuum (Betham II, app. p. XV sq.) ac quidem eodem fere ordine narrata, sed simpliciora (cf. inprim. vers. 55—60 cum Muirchui p. XVI). Denique quae de Germano in insulis maris Tyrrheni una cum Patricio commorante supra p. 41 protuli, hoc loco neglegenda non sunt.

Quae cum ita sint, Fieci hymnus nullum ad solvendam nostram quaestionem attulit momentum. At Secundini hymnus adest testibus non solis H. and St. (II, 2, p. 327 not.) ipsius Patricii temporibus conscriptus. Sed timeo, ne non majori utilitati nobis sit quam Fieci carmen, nam de tempore, quo compositus esset, certo falsam sententiam tulerunt viri docti H. and St. Potissimo enim utuntur argumento, quod in hoc hymno nil insit de ulla Patricii cum Romanis necessitudine. At haec ipsa res in dubitationem vocari potest. An quod poëta „*dominus*“, inquit, „*illum elegit, ut doceret barbaras nationes*“ vel „*quem deus misit ut Paulum ad gentes Apostolum*“ (H. and St. II, 2 p. 324 et 325), comprobare potest poëtam de Patricii itineribus per Galliam atque Italiam etc. nihil audivisse? Minime. Nam nil omnino inest in hoc carmine de vita Patricii, hymnus est laudes continens, non enarrat vitam. Hymni autem natura fert, ut de hominibus quam minime dicatur et deus vel sancti sufficiantur in eorum locum. Quin etiam negari non potest, alios carminis versus his verbis scriptos:

Constans in dei timore et fide immobilis,
super quem aedificatur ut Petrus ecclesia,
cujusque apostolatum a deo sortitus est: (H. and St. II, 2, p. 324) illa interpretandi ratione ita posse intellegi, ut a papa Patricium missum esse videantur enarrare. Sed neque his neque illis versibus uti licet, immo confitendum est, Secundini hymnum ad adumbrandam Patricii vitam nullius momenti esse. Quod si omnes concederent, de tempore melius judicarent. Luce enim clarius est perperam attribui hoc carmen Secundino, Patricii aequali eoque testibus annalibus (H. and St. II, 2 p. 327 not. a) ante ipsum Patricium mortuo. Nonne jam primi carminis versus:
Audite, omnes amantes deum, sancta merita
viri in Christo beati Patricii episcopi: (H. and St. II, 2, p. 324) demonstrant poëtam multo post Patricii mortem vixisse? Itaque, quo tempore hymnus compositus sit, nisi ex ipsis codicibus et ex veterum testimoniis definiri non potest. Exstat autem in codice libri hymnorum saec XI (Stokes, Goidelica edit. 2 p. 61) et in Antiphonario Benchorensi ante annum 691, ut putatur (num recte? cf. contra Schoell, Herzog R. E. 11 p. 200 ejusdem diss. p. 54), conscripto; prima vero vero carminis mentio reperitur in additamentis Tirechani (liber Ardm. Betham II, app. p. XXXVI). Itaque saeculo septimo priorem esse Secundini hymnum comprobari non potest, eaque ipsa de causa etiam minoris momenti est.

Quae tandem exstant saeculi septimi altera parte priora de Patricio testimonia? Duo sunt, prius ac levius Cumeani, alterum gravissimum Columbae Luxoviensis.

Certum est utrumque. Vix enim licebat Schoellio (diss. p. 73) in dubitationem vocare, quae Cumeanus de variis cyclis paschalibus verba faciens Segenio, abbati Hiiensi anno 634 (cf. infra) scripsit „*primum de cyclo illo quem St. Patricius, papa noster, tulit et facit*“ (*Usserii veterum epistolarum sylloge. Paris.* 1665 p. 21). Nam cyclum illum, „*in quo luna a XIV usque in XXI regulariter observatur*“ (ibid.) eundem fuisse, qui postea Romanorum erat, perperam Schoellius opinatus est. Immo, si, id quod non unus ipse puto, verba illa ita sunt interpretanda, ut lunae XVI[a] comprehendatur, lunae XXI[a] excludatur hebdomadis spatio, ille mos Patricii et cum posterioris temporis Scotis et cum suae aetatis Romanis et Britonibus congruisse invenitur. Quamobrem Cumeani de Patricio verba nobis usui esse non possunt.

Gravius est Columbae Luxoviensis testimonium. Reperitur enim Patricii nomen in Calendario quodam Luxoviensi in monasterio medio saeculo septimo conscripto (Piper. *Karls, des Grossen, Kalendarium und Ostertafel.* 1858 p. 64). Unde cum

colligendum sit, Columbam jam novisse Hiberniae apostolum, maximi momenti est, quod idem Columba episcopos Romanos Hibernorum magistros appellavit (ep. IV ad. Bon. pap. Bibl. max. patr. XII, p. 25 G).

Itaque quod exstat omnium de Patricio testimoniorum antiquissimum optime quadrat iis, quae Tirechanus de Patricii itineribus prodidit.

His expositis jam tempus est, ut perscrutandis ipsius Patricii, quae feruntur, scriptis operam demus. Absit vero, ut loquar de omnibus Patricii opusculis a Waraeo (anno 1656) editis, nam etsi nonnulla eorum jam in canonibus Hibernicis Patricio attributa sunt (XXV, 3 Wasserschleben Ir. Can. p. 91 et XXIX, 7 p. 119), tamen inter omnes constat plurima adulterina esse (cf. H. and St. II, 2, p. 327). Itaque non nisi de iis dicendum est, quae genuina Patricii scripta habentur cum ab aliis tum a viris doctissimis H. and St. In quorum numero cum invenirem Patricii canticum Scotticum (H. and St. II, 2, p. 320 sqq.), valde miratus sum. Nam neque quicquam in ipso carmine Patricium auctorem fuisse indicat neque verborum formae Patricii temporibus quadrant (cf. Windisch. Irische Texte p. 3) neque latet, quam vim habeant omnino quaecumque in libri Hymnorum praefationibus de singulorum carminum auctoribus inveniuntur. Quibus de causis canticum illud, cujus primam mentionem fecerunt additamenta Tirechani (lib. Ardm. Betham II, app. p. XXXVI), a Patricio factum non esse pro certo habendum est. Genuinum si esset Patricii opus, ad nostram quaestionem nullum afferet momentum. Licet igitur de eo tacere.

Mallem tacere etiam de confessione Patricii et de ejusdem epistula *ad christianos Corotici tyranni subditos* (H. and St. II, 2, p. 296 sqq. et 314 sqq.), quae genuina Patricii opera esse omnes fere consentiunt. Nam quae de his scriptis exsistunt quaestiones, omnino in praesenti solvi non posse videntur, nedum a me. Vetustissimus enim isque valde mendosus confessionis codex exstat in libro Ardmachano, epistula primum invenitur in codice quodam Mus. Brit. Cotton. Nero E 1 et ipso confessionem quoque continenti. Trecentis igitur et quinquaginta annis post Patricii mortem vetustissimus qui exstat confessionis codex est conscriptus. Neque ullius momenti est, quod a *volumine, quod Patricius manu conscripsit sua* descriptus esse traditur (lib. Ardm. Betham II app. p. LV); nam quis librario credat? Itaque cum codex libri Ardmachani mendis scateat et lacunis saepe deformatus sit, et cum posterioris temporis codices additamentis, ut nonnulli putant, saepissime aucti sint —, quae fuerint confessionis verba disceptari non potest; neque defuerunt, qui aliud a librariis additum aliud omissum esse ex libidine

putarent. Quae cum ita sint, fortasse melius de his Patricii scriptis judicari poterit, si Angli, qui rem jam aggressi sunt (*Facsimiles of national MSS. of Ireland* ed. by Gilbert, — quos libros adipisci non potui), de ipsis verbis et de codicibus plura attulerint; sed nisi forte vetustiores codices reperiuntur, dubito, annon omnino res dijudicari possit.

Qua de causa benigne judicet quisquis leget de iis, quae proferam, neque postulet, ut innumerabiles illas quaestiones, quas ipsae Patricii confessio et epistula legentibus proponunt, solvere coner. Immo liceat mihi omissis omnibus, quae ad nostram rem non pertinent, nil aliud quaerere nisi, num de consuetudine Patricii cum Romanis ipsius scripta aliquid doceant. Itaque omitto argumentis confirmare confessionem et epistulam adulterinas non esse. Nam et ipse Schoellius, qui genuina ea esse Patricii scripta negaverat (diss. p. 68 sqq.) postea (Herzog, R. E.) jure illam sententiam deposuit. Etsi enim nonnulla suspicionem movent, tamen negligenda sunt, et quia, quae fuerint genuina confessionis verba, definiri non potest et quia ad dijudicandas saeculi quinti res idonea nobis desunt adjumenta.

Quid igitur ipse Patricius de sua ipsius vita nobis prodidit? Quae res haudquaquam facilis est responsu, nam tale est in confessione, qualis nunc exstat, narrandi genus, ut saepius nemo, quid sibi voluerit auctor, intellegere possit. Haec vero sunt quae ex perplexa illa narratione colligere licet:

Patricius, natione Brito (conf. H. and St. II, 2, p. 303) 16 annos natus captivus in Hiberniam est abductus, inde 6 peractis annis liberatus in patriam videtur revertisse, sed [nisi, quod equidem opinor, librariorum negligentia duplicata est una eademque narratio [1]] iterum captus est nec vero non iterum liberatus *iterum in Britannia erat cum parentibus.* Ibi cum moraretur, mirabilibus somniorum speciebus invitatus est, ut Hiberniis verbum dei praedicaret — et profecto *post plurimos annos* (conf. p. 303) *imperante Christo* (ib. p. 309) *non sine deo nec secundum carnem* (epist. p. 316) in Hiberniam pervenit, Scotorumque multa milia ad verum dei cultum convertit. Ubi *plurimos* illos annos degerit, ne uno quidem verbo Patricius prodidit, sed satis habuit dixisse saepius se esse servitute liberatum, dispersum se esse „*in gentibus multis*“, maximas tribulationes esse perpessum summisque in periculis versatum. Quin etiam ne id quidem cognosci potest, utrum recta via ex Britannia in

---

[1] Nam, ut alia omittam, utraque narratio, p. 301 et p. 302, Patricium servitute liberatum 28 dies per deserta loca narrat erravisse.

Hiberniam venerit, necne, nam cum uno loco (conf. p. 306) ex Britannia videatur esse profectus, alio loco videtur ex alia regione ita Hiberniam quaesivisse, ut omitteret Britanniam adire et videre parentes (ep. p. 317).

Quae cum ita sint, audacius mihi videtur asseverare Patricium testibus ipsius scriptis nullo nisi ipso deo auctore in Hiberniam pervenisse. Nam ii, qui premunt Patricium neque Germani neque Coelestini neque Romanorum neque ullius alius se ipsum mittentis mentionem fecisse, ne neglegant quaeso, quod omnino in confessione et epistula exceptis ipsorum Patricii et Corotici atque parentum Patricii nominibus nullum ullius hominis nomen invenitur, immo Patricius dedita opera etiam eorum hominum, de quibus locutus est, nomina retinuit. An quis est ille, qui *ipse ore suo dixerat: ecce tu promovendus es ad gradum episcopatus?* Utrum idem, quem amicissimum suum Patricius appellavit an alius? (conf. p. 305). Nihilosecius ille, qui dixerat Patricium promovendum esse ad gradum episcopatus, testimonio est Patricium haudquaquam omnibus humanis auctoribus exclusis in Hiberniam pervenisse. Sed desinam exprimere obscuriora illa verba vel similia plura, immo missis ambagibus proferam, quid sentiam. Persuasum enim mihi est Patricii confessionem et epistulam non solum non repugnare iis, quae exeunte saeculo septimo de Patricii itineribus per Gallias atque Italiam Scoti narrabant, sed etiam cum, quales nunc exstant, tam, quales olim fuisse videntur, illam ipsam narrationem posse vel potuisse confirmare. Argumenta autem, quibus mihi persuasum est, sunt haecce:

Dispersum se esse narrat Patricius per gentes multas (conf. p. 297), sed quaenam fuerint illae gentes non dicit. Attamen quasi praeteriens non solum de Britannis et Scotis sed etiam de Gallis et Romanis mentionem fecit. Itaque cum dicat (conf. p. 309) optare sese, ut liceat sibi *ire non solum ad patriam sed etiam usque ad Galliam et visitare fratres suos, ut videat faciem sanctorum Domini sui,* et cum laudet (ep. 7, p. 317) *consuetudinem Romanorum Gallorumque Christianorum, qui mittant presbyteros sanctos idoneos ad Francos et exteras gentes cum tot milibus solidorum ad redimendos captivos baptizatos,* — apparet revera Gallorum gentem unam esse ex iis, in quarum regiones dispersum se esse auctor tradidit. Quin etiam expressis verbis Patricius in confessione videtur mentionem fecisse de sua in Gallis commoratione, sed tam perplexa sunt verba, ut pro certo nil affirmari possit. An potes Germanice vertere verba haecce: *oportet ... sine timore fiducialiter dei nomen ubique expandere, ut etiam post obitum meum ex a Gallias relinquere fratribus et filiis meis, quos in Domino ego baptizavi* (conf. p. 300)?

Quid mirum, quod in libro Ardmachano hoc loco margini ascriptum est: „*incertus liber*“ (H. and St. II, 2, p. 300 not. 15)? quid mirum, quod illud „*ex a Gallias*“ in codice mon. St. Vedasti, quo Bollandus usus est (H. and St. l. c.), omissum est? Quodsi nonnulla omissa sunt — neque dubitare licet, quin permulta omissa sint, nam saepius in libro Ardmachano invenitur „*et reliqua*“ (H. and St. II, 2, p. 307 not. 28 et 31) —, licet suspicari etiam de itineribus Patricii per Gallias atque Italiam olim in confessione planum ac clarum testimonium potuisse inveniri. Nam adhuc hodie in ipsis Patricii scriptis non desunt, quae suspicionem moveant auctorem in Italia fuisse commoratum. Nonne, si audimus Patricium dicentem: *manu mea scripsi* . . . *verba ista* (epistulae) *danda ac tradenda militibus mittenda Corotici, non dico civibus meis atque civibus sanctorum Romanorum, sed* . . . (ep. 1, p. 314) vel laudantem consuetudinem Romanorum (cf. supra), suspicandum est aliquam unquam consuetudinem fuisse Patricio cum Romanis? Immo haud scio an liceat suspicari ipsum auctorem, qui saepius e servitute liberatum se esse tradidit, a Gallis vel Romanis esse redemptum.

Quae cum ita sint, gravissimum esse puto illud Tirechani (cf. supra p. 37) ipsum Patricium dixisse in commemoratione laborum sese navigasse per Galliam atque Italiam totam etc. Nam quis neget optime quadrare verba illa ipsius confessionis narrationi? Quin etiam dubium est an liceat suspicari eo ipso loco, quo vitarum nonnullae narrationem de itineribus illis inserunt iis, quae ex confessione sumpserunt, olim in confessione scripta fuisse verba illa. Nam eo ipso loco, quo narratur Patricius servitute liberatus 28 dies deserta loca peragrasse, omnium codicum verba mendis, lacunis et additamentis corrupta esse videri supra jam quasi praetereuntes commemoravimus (p. 47 annot.). Praeterea secum reputet benevolus lector dicta illa Patricii, quibus Tirechanus usus est, saltem iis similia exstare in eodem libro Ardmachano, in quo confessio; ergo eodem jure sunt utraque verba, quin etiam Tirechanus illa Patricio attribuit, hanc, qualis nunc exstat, a Patricio conscriptam esse affirmare non potuit. Accedit, quod, cum a Fieci hymno non recte intellecto origo eorum repeti non possit, ne conjectura quidem augurari possumus, cur vel a quo ficta sint dicta illa. Nam si ficta essent, ut Patricio cum Romanis consuetudinem fuisse demonstrarent, ipsius Romae urbis mentio facta esset. An illud: *de saeculo requisistis ad Paradissum deo gratias aecclesia Scotorum immo Romanorum, ut Christiani ita ut Romani sitis* . . . . propensam posteriorum in Romanos voluntatem redolere putas? At haec verba cum prioribus perperam conjuncta sunt, nam illa *in commemoratione laborum* i. e. in confessione,

4

ut opinor, a Patricio dicta esse testatur Tirechanus, haec adhuc hodie, quamvis mutilata sint vel, si mavis, non aucta exstant in epistula (9. p. 318): *Deo gratias: credentes et baptizati de saeculo recessisstis ad paradisum.* Quin etiam quae in dictis illis sequuntur optime quadrare videntur iis, quae commemorato epistulae loco Patricius disseruit affirmans se unum baptisma et unum deum habere, eundem, quem alii Christiani. Et quis audeat contendere eum qui de *civibus sanctorum Romanorum* mentionem fecit (vid. supra), quem aliquam cum Romanis consuetudinem habuisse certum est, non potuisse scribere illud: *aecclesia Scotorum immo Romanorum* etc. Denique non omittam commemorare in verbis illis „*timorem dei habui ducem itineris*" etc. ipsam Patricii mentem videri spirare, nam de timore dei saepissime loquitur.

Summa igitur est, quod Patricium unquam in Italia fuisse et aliquam cum Romanis consuetudinem habuisse mihi persuasi ideoque censeo jure attribui Patricio quae in libro Ardmachano exstant „dicta Patricii", licet concedam me nescire, an nonnulla in iis a posterioribus adjecta sint.

Quae cum ita sint, etiam difficilior partim, partim simplicior facta est quaestio illa supra (p. 31) proposita, quaenam ratio intercesserit inter Patricium et Palladium. Ad hanc igitur solvendam redeamus. Varia ratione usque ad hodiernum diem rem explanare studuerunt viri docti.

Ac primum quidem ea, qua usae vitae Patricii finxerunt Patricium a Papa Coelestino vel a Germano Autissiodorensi suffectum esse in locum Palladii, quippe qui infecta re revertisset. Quod si ita esset, nobis, et quia Coelestinus uno anno post missum Palladium e vita exiit et quia Patricius anno jam 432 (i. e. secundo regis Logairi anno) in Hiberniam venisse traditur (annot. Tirech. Betham II app. p. XIX), putandum esset Palladium ne unum quidem integrum annum in Hibernia moratum esse. Quod cum minime quadret Prosperi narrationi, quam vitis fide digniorem esse nemo negat (vid. supra p. 31), hac ratione quaestio solvi non potest.

Alteram igitur examinemus, Varini. Varinus enim Palladium eorum Scotorum, qui in Albaniam transmigraverant, apostolum fuisse putat, Patricium Scotorum Hiberniae (mém. 2, p. 123 sqq.). At Scoti ubique et proxime intellegendi sunt Hiberniae insulae incolae, neque affirmari potest Prosperi temporibus omnino in Albania Scotos jam fuisse (supr. p. 29). Praeterea manifestum est ex Prosperi verbis „*dum Romanam insulam studet servare catholicam fecit etiam barbaram christianam*" (supra p. 31) Prosperum Romanae insulae Britanniae, cujus pars erat etiam ipsa Albania, alteram opposuisse bar-

baram, quae Hibernia non esse non potest. Ergo et haec opinio rejicienda est.

Quid restat? Tertium est, ut putemus et Palladium et Patricium in Hibernia verbum dei praedicasse. At unde factum est, ut omnis Palladii memoria apud Scotos evanesceret? ut Patricius Palladii mentionem non faceret? Sed hoc alterum non premam, quia Patricius omnino hominum nomina non profert (vid. supr. p. 48). Quomodo vero factum est, ut Prosperus de Patricio nil audiret? Si in Italia fuit Patricius, profecto mirum est, quod Prosperus de eo verba non fecit. Iis autem, quibus forte in prioribus nondum persuaserim, Patricio cum Romanis aliquam consuetudinem fuisse, ultimam ac supremam propono quaestionem, quomodo factum sit, ut Beda, cui multa de Scotorum ecclesia nota erant, qui alia leviora audierat ab amicis Egberti, qui *diutius in Hibernia pro Christo exulaverat* (h. e. 3, 4. § 161; 5, 9. § 376 sqq.) de Patricio nil dixerit. Num credibile est Bedam, investigandae antiquitatis studiosissimum, nunquam ab iis, qui permulti tunc ex Anglia *ad legendas scripturas sacras* in Hiberniam transmigrabant, audivisse Scotos venerari Patricium primum Hiberniae episcopum? Ergo Beda aut de Patricio, utpote non a Romanis misso, verba facere noluit (Schoell, Herzog R. E. 11, p. 209), — quod putare non licet et quia Beda non is est, cui hoc opprobrio demus, et quia absurdum est per se, quia Patricius licet nullam habuisset cum Romanis consuetudinem, tamen a Romanis certo nulla re dissentiebat —, aut sicut nonnulli ejusdem temporis Scoti (cf. supra p. 43) Patricium eundem esse atque Palladium opinatus est. Hac denique

quarta ratione solvi posse nostram quaestionem equidem persuasum mihi habeo. Quod qui primus suspicatus est, Schoellius (diss. p. 77), postea (Herzog, R. E. 11, p. 209) hanc opinionem deposuit. Unde nolim colligas immaturam esse eam. Ex contrario multis argumentis confirmari potest. Nam primo quod et Palladium et Patricium ineunte saeculo quinto in Hiberniam venisse credibile non est (cf. supra 1—3), altero quod Beda de Patricio verba non fecit, tertio quod nulla exstat apud Scotos mentio Palladii nisi apud eos, qui Prosperi narrationem cognoverant, quarto quod talis est Patricio cum Palladio nominis vicinitas, quae facile in errorem adducere potuerit Prosperum, quinto quod eodem anno 432 in Hiberniam venisse traditur Palladius a Prospero, Patricius a Tirechano[1] —, sexto denique quod Palladius ille Prosperi na-

[1] Tirechanus secundo regis Logairii anno Patricium venisse prodidit, regem autem illum 33 annos regnasse testatur (Betham II app. p. XIX). Ergo, si Logairius anno 463 mortuus est (Skene II,

tione Brito fuisse videtur, quod sagacissime profecto Varinus collegit ex his Prosperi verbis (chron. ann. 429 op. ed. Bassani I, p. 401, H. and St. I, p. 16): *ad actionem Palladi diaconi Papa Coelestinus .... Germanum ... vice sua mittit et deturbatis haereticis Britannios ad catholicam fidem dirigit.* Nam quid Palladio, sedis apostolicae diacono, commercii erat cum Britonibus, nisi ipse erat Brito?

At dicat fortasse quispiam huic nostrae sententiae repugnare confessionis Patricii sermonem ac stylum incultum atque impeditum. Atqui librarios accuset non Patricium, nam qui dei et apostolorum verba in latinum transferre potuit (ep. 11, p. 319) idem in lingua latina rudis atque hospes esse vix potuit. Quod cum manifestum sit, omitto loqui de iis confessionis verbis (p. 298), ex quibus Ebrardus (p. 485 not. 16) studuit efficere, ipsum Patricium esse confessum se rudem esse in lingua latina. Nam obscuriora esse illa verba is jam cognovit, qui librum Ardmachanum conscripsit, nam „*incertus*“, inquit „*liber hic*“ (H. and St. II, 2, p. 298 not. 21). Profecto incertior, quam ut, quid sibi velint verba, cognosci possit. Itaque nec sermo aut stylus confessionis impedit, quominus Palladium eundem esse putemus atque Patricium.

Quae cum ita sint, vix disceptari potest, utrum Scoti, cum Prosperi narrationem cognoscentes Patricium a Coelestino missum esse finxerunt, a veritate deflexerint an potius inscii ad veritatem proprius adduxerint Patricii historiam.

Nam utrum Prospero an obscuris ipsius Patricii verbis major fides habenda sit, dubitare licet. Attamen certum est haudquaquam ita missum esse Patricium ut posterioribus temporibus legati missi sunt ab episcopis Romanis ad paganos. Nam alienum est saeculi quinti rebus neque confessioni Patricii congruit. Haud scio an inde orta sit Prosperi narratio, quod Patricius, cum variis casibus jactatus casu Romam venisset, ibi consilio suo in Hiberniam navigandi cum Romanis vel cum ipso papa, si mavis, communicato in presbyterorum vel episcoporum numerum receptus est. At conjecturis gaudere me taedet. Ergo haec hactenus. Licet in dubio relinquatur, quid de singulis Prosperi verbis judicandum sit, verisimillimum tamen est Palladium, de quo Prosperus mentionem fecit, alium non esse

---

p. 428, not. 17) anno 432 Patricius in Hiberniam venit. At dicat quispiam Logairii annos computasse annales Ultonienses (saec. XII) non sine habita Palladii historiae ratione. Atqui illo fere tempore Logairium regnasse demonstrat Catalogus SS. Hib. ante medium saeculum octavum conscriptus neque Palladii mentionem faciens (H. and St. II, 2, p. 292).

quam Patricium, denique certum mea quidem sententia aliquam unquam Patricio cum Romanis fuisse consuetudinem.

Ergo quid mirum, quod neque in Patricii scriptis neque alibi quicquam occurrit, quod antiquissimam Scotorum ecclesiam cum Romana, qualis tunc erat, non in omnibus consensisse comprobet!

Sed ne quispiam putet ad obscuram atque contortam Patricii historiam redire quaestionem de antiquissimae ecclesiae Scotorum natura et moribus, extremum illud sit, ut repetam, quae supra jam similia dixi. Licet ficta sit Prosperi de Palladio narratio, licet nunquam Patricius in Italia, nunquam in Gallia fuerit, tamen quia Britonem eum fuisse constat, antiquissima Scotorum ecclesia, quam ille in Hibernia constituit, ab ecclesia Romana dissentire non potuit. Itaque qui fuerit

secundae ecclesiae Scotorum aetatis status ecclesiasticus

jam nobis quarendum est, ac primum quidem, ut supra jam diximus, quaerendum ex

Columbae abbatis Hiiensis historia.

De Columba, abbate Hiiensi vix plura constare, quam quae Beda narraret (h. e. 3, 4 et 3, 25 cf. 5, 9) Schoellius in dissertatione sua censuerat (p. 61), postea (Herzog R. E. 2, 788) ipse addidit vitam Columbae ab Adamnano, et ipso abbate Hiiensi (679—704 H. and St. II, 1, p. 135), conscriptam (Act. SS. Boll. Juli 9, p. 197 sqq. et alibi), quam antea propter fabulas, quibus abundat, Adamnano attribuere dubitaverat. Et optimo jure priorem suam sententiam Schoellius deposuit. Licet enim Adamnanus tantam fidem miraculis adjunxerit, ut vel absurdis ac plane ineptis rebus gaudeat (e. g. 2, 53, p. 217), — quid ad rem? Nonne idem ubique et apud omnes fere ejus aetatis scriptores occurrit? An ceteris eruditiores erant Scoti, diversi etiam illa re ab omnibus ejusdem aetatis hominibus? Revera Schoellius, cum dissertationem suam conscriberet, talia videtur cogitasse neque adhuc hodie desunt, qui eandem falsam persuasionem sibi induerint. Ea ipsa de causa de his verba fecisse haud ab re duco. Luculentissime enim et Muirchui vita Patricii et Adamnani vita Columbae, eodem fere tempore compositae, demonstrant Scotos eadem fuisse credulitate, eodem, ne dicam majore, miraculorum amore et studio, atque omnes illius aetatis christianos.

De ceteris autem Columbae vitis a Colgano (Trias Thaum.)

editis nil verbi addam, nam omnes non exclusa Cumeani, quae putatur, vita (Act. SS. Boll. Juli 9. p. 185 sqq.) ab Adamnani libro profectas esse Schoellio libentissime concedo. Neque majoris momenti est vita illa hibernico sermone conscripta, quam anno 1877 Stokesius (*Three middle irish homilies* etc. cf. supra p. 33, p. 90—125) et eodem anno pluribus codicibus usus Anglicane conversam Skenius (II, app. p. 467 sqq.) in lucem ediderunt; nam saeculo undecimo antiquior esse nequit (vid. Stokes p. VIII). Sed ipsam rem jam aggrediamur.

Columba igitur, hibernice Colum et postea Columcille (i. e. Columba cellae vel ecclesiae, Windisch Ir. Texte p. 871, Skene II, p. 52) anno 521 in Hibernia natus (Skene II, p. 52), Scotiae, quam nunc dicimus, apostolus est habendus sicut Patricius Hiberniae. Nam etsi et Columba in Hibernia quoque res commemoratione dignas gessit — construxit enim monasterium Dearmachense, hodie Durrow, in Midia (Beda h. e. 3, 4 § 159) — neque omnes Albaniae incolae etiam tunc pagani erant — ineunte enim saeculo sexto a Scotis christianis, qui ex Hibernia transmigraverant, Scotorum Albanensium regnum in Albania constitutum erat (cf. supra p. 29) —, tamen neque Columba tam claram sui reliquisset memoriam neque fides christiana a Scotis in Albaniam allata non exstincta esset a Pictis, paganis et barbaris (cf. Skene II, p. 78 sqq.), nisi Columba inde ab anno 565 illi ipsi septentrionalium Pictorum genti evangelium praedicasset. Adducto enim ad fidem et rege et populo monasterio suo duobus annis ante [1] proxime Albaniae oram in insula Hii vel Jona (rectius Jova = insula scil. Hii, H. and St. II, 1, p. 108 not. 6) constructo tantam auctoritatem conciliavit, ut illud ipsum monasterium Hiiense famam conficeret Columbae ut Albaniae apostolo. Nam non solum vivo Columba monasterium Hiiense principatum tenebat in omnibus monasteriis, quae *plurima ex utroque monasterio*, Dearmachensi et Hiiensi, *per discipulos ejus et in Britannia et in Hibernia propagata erant* (Beda h. e. 3, 4 § 159), sed etiam postea per longum tempus *in cunctis paene septentrionalium Scotorum*, Hiberniensium et Albanensium, *et omnium Pictorum*, septentrionalium primum, deinde etiam australium, et postea etiam Nordanhymbrorum *monasteriis arcem tenebat regendisque eorum populis praeerat* (Beda h. e. 3, 3 § 157).

Haec Bedae de Hiiensis monasterii auctoritate verba ne

[1] Discrepant inter se Adamnanus qui Columbam anno 563 condito monasterio Hiiensi in Pictos profectum esse narrat et Beda, qui refert Columbam anno 565 a Pictis dono accepisse insulam Hii, ut monasterium construeret. Skenii sententiam (II, p. 105 not. 38) secutus supra medium quiddam tenere studui.

aliter accipiantur, quam sunt, facere non possum, quin a lectoribus petam. Nam cum de iis ecclesiae Hiberno-Scotorum partibus, de quibus Beda illo loco non loquitur, vix quicquam constet mirandum non est, quod saepe occurrit opinio totam Hiberno-Scotorum ecclesiam subjectam fuisse monasterio Hiiensi. Qui error ignosci potest eis, qui quasi praetereuntes de ecclesia Scotorum verba fecerunt, sed de Ebrardo judicandum est eum, qui illius erroris participem se fecit (Ebrard p. 285), hac ipsa re talem se ostendisse, cui majori laudi fuisset tacere, quam solidum de ecclesia Hiberno-Scotorum conscribere librum. Apparet enim jam ex Bedae verbis supra commemoratis omnibus Hiberniae incolis exceptis septentrionalium Scotorum plurimis nullam cum Hiiensibus fuisse necessitudinem neque deest locus, ubi Beda expressis verbis mentionem fecerit de Hibernis, „*qui ab Hiiensium dominio liberi erant*“ (h. e. 5, 15 § 403) et praeter eos, quos illic dixit, omnes australes Hiberniae regiones abbati Hiiensi subjectas non fuisse idem alio loco (h. e. 3, 3 § 155) docuit.

Quae cum ita sint, exsistit quaestio, utrum mirabilis illa Hiiensis monasterii auctoritas in suo genere singularis fuerit in ecclesia Scotorum, an alia ejudem generis exempla in aliis ecclesiae partibus inveniri possint. Certo non omnino singularis erat, sed proh dolor! accuratius de hac re disserere, prorsus fere nos impedit veterum testimoniorum penuria. Attamen quae potissimum observanda sunt, partim ex vetustis paucis partim e posterioris temporis testimoniis colligi possunt.

Nam sive Patricii temporibus nondum tota insula christiana erat facta sive mortuis Patricio et sociis Hibernorum plurimi reciderant in gentilitatis superstitiones: nisi ficta sunt omnia, quae in vitis Sanctorum Hiberniensium traduntur, dubitari non potest, quin saeculi sexti temporibus denuo quasi ecclesia Hibernorum condita sit. Tanta enim monasteriorum multitudo tunc constituta esse traditur, ut nullus videatur fuisse Hiberniae angulus, in quo monasterium non construeretur (cf. Skene II, p. 51 sqq.). Quorum monasteriorum inter conditores cum nonnulli adeo excellerent, ut ingentem monachorum multitudinem secum haberent, ut Finianus, Clonardensis monasterii in Midia abbas (Skene II, p. 50), cujus discipulus et ipse Columba fuisse dicitur (vit. Hibern. Skene II, app. p. 479) et Comgallus, Benchorensis in Ultonia monasterii abbas, Columbae aequalis (Skene II, p. 55), factum est, ut monasteria eorum principatum obtinerent in omnibus iis monasteriis, quae vel propter monachorum multitudinem vel ad disseminandam fidem christianam ab ipsorum discipulis in finitimis regionibus constituta erant. In his nobilissimis monasteriis praeter Hiiense, Clonardense, Benchorense

nominanda sunt Ardmachanum in Ultonia, cujus abbas — posteriore quidem aetate (697) — multorum clericorum synodali conventui praefuisse fertur (Skene II, p. 173) et primus nominatur in epistula Johannis papae infra commemoranda, Leclinense in Lagenia, Clonense (Clonmacnois) in Midia, Clonfertense in Connactia (Usser, Antiqu. p. 955), alterum Clonfertense in confinibus Momoniae et Lageniae (Skene II, p. 56), quorum Cumeanus mentionem fecit in epistula sua.[1] Alia num pari auctoritate floruerint, nescio,[2] neque velim putes eorum, quae commemoravimus, monasteriorum auctoritatem tantam fuisse, quanta monasterii Hiiensis.

Neque ipse Columba, si in Hibernia mansisset, tantam auctoritatem esset consecutus, nam impedimento fuisset regni Hibernorum forma. Singulae enim Hibernorum tribus, quarum saluti singula monasteria serviebant (Skene II, p. 72) et quibus cum monasteriis tam arcta necessitudo erat, ut monasteriorum abbates jure quodam haereditario eligerentur ex eadem semper familia vel saltem tribu, sive ex ea, qua monasterii conditor ortus erat, sive ea, ex qua natus erat is, qui illi agros assignaverat ad constituendum monasterium (Skene II, p. 66 sqq.), hae, inquam, tribus in unum corpus non redactae erant nisi ita, ut permulti illi reguli, qui singulis tribubus praeerant, regibus pagorum, ut ita dicam, reguli pagorum regibus provinciarum, denique hi quinque summo totius insulae rege inferiores essent (Skene III, p. 135 sqq.). Nonne apparet hac forma regni Hibernici et hac de successione abbatum lege impeditum esse, quominus unum monaterium vel pauca in omnibus totius Hiberniae monasteriis principatum tenerent? Immo multa erant in Hibernia monasteria, quae tantum sui juris fuisse videntur. Quo factum est, ut ecclesia Scotorum unius corporis speciem non praeberet. Deerat enim, qui in sua persona ecclesiae unitatem ante oculos poneret.[3] Quod etiam eum, qui catalogum

---

[1] Numeravit enim (Usser, vet. ep. hibern. syll. p. 23) inter spectatissimos Hiberniae sacerdotes successores S. Albei, Leclinensis (Usser, Antiqu. p. 936) Kerani Clonensis (Skene II, p. 52), Brendani, Clonfertensis (Skene ib.), Lugidi, alterius Clonfertensis monasterii abbatis (Usser, Antiqu. 919 sq. 935. 943). Tacui de successore Nessani, quem quinto loco nominat, quia de ipso Nessano nil constat (Usser, Antiqu. 961).

[2] Nam quae de aliis ut Ratheniensi in incertis vitis, fortasse adhuc hodie ineditis traduntur (Usser, Antiquit. p. 911. cf. 919) equidem examinare non potui.

[3] Liber Angeli (Betham II, app. XLVI, cf. supra p. 35) et Fieci hymnus (v. 49 H. and St. II, 2, p. 359) sedi Ardmachanae, quam jam Muirchu (Betham II, app. p. XV) ab ipso Patricio insignem factam esse narraverat, a Patricio principatum in ecclesia Hibernorum attributum esse finxerunt. Unde sequitur exeunte sae-

Sanctorum Hiberniae (H. and St. II, 2, p. 292, cf. supra p. 52) conscripsit, non fugit. Nam cum de primo Sanctorum ordine, *qui erat in tempore Patricii*, dixerit *unum caput Christum et unum ducem Patricium habebant*, de secundo, qui Columbae temporibus erat, nil nisi *unum*, inquit, *caput habebant*, *dominum nostrum*.

Ergo non illud singulare erat, quod monesterium Hiiense principatum quendam tenebat in aliis monasteriis, sed hoc, quod non solum nonnulla in Hibernia monasteria, sed cuncta Pictorum terra Hiiensis monasterii abbati erat subjecta. — Neque tamen hoc mirandum est, nam ab uno illo monasterio tota Pictorum gens sensim paullatimque in societatem christianae fidei assumebatur, cum in Hibernia utpote jam christiana permulta monasteria una eademque aetate constituerentur.

Haec de externa ecclesiae Scotorum forma. Nunc propius jam accedamus ad inspiciendum ecclesiae statum. Monasteria nonnulla episcopalem quandam curam in ecclesia gessisse vidimus; accedit, quod Beda narrat de monasterio Hiiensi: *habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum*, *cujus juri et omnis provincia et ipsi etiam episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti*, *juxta exemplum primi doctoris*, *qui non episcopus*, *sed presbyter exstitit et monachus* (h. e. 3, 4 § 160). Quid? Utrum singulare erat quod de monasterio Hiiensi Beda enarrat verbis modo commemoratis, an idem etiam alibi in ecclesia Scotorum inveniebatur? Quid omnino judicandum est de auctoritate illa, quam monasteria in ecclesia Scotorum habebant?

Perdifficiles sunt hae queestiones, eaeque tales, de quibus adhuc hodie viri docti minime consentiant. Qua de causa facere non possum, ut in ipsa disputatione expressis verbis aliorum sententias impugnem. Meam potius viam simpliciter persequar, — siquidem mea est, quam non invenissem, nisi alios habuissem duces itineris.

Exordium ex alto petamus necesse est. Quaerendum enim est, num omnino gradus ecclesiastici non reperiantur apud Scotos, num omnes clerici exceptis abbatibus ea parte, quatenus abbates erant, pares fuerint dignitate sicut mos est monachorum?

Diaconorum, de quibus primum dicendum est, gradum, non dico nomen (Ebrard. p. 180 sqq.), apud Scotos non defuisse Adamnanus est testis; isque certus ac bonus: nam, etsi primus abbatum Hiiensium, ut postea videbimus, cum Romanis societatem

---

culo septimo episcopum Ardmachanum principatum quendam obtinuisse, quod idem inde apparet, quod anno 697 episcopus Ardmachanus synodo Tarensi praefuit (Skene II, p. 173). Sed saeculo septimo exeunte vetustiorem esse insignem illum sedis Ardmachanae honorem comprobari non potest.

iniit, tamen absurdum est hanc ipsam ob causam fidem ei abrogare. Narrat autem inter alia multa tria miracula, quae Columbam edidisse refert, cum *juvenis diaconus in Hibernia apud Findbarrum sanctum episcopum commaneret* (vit. Col. 1, 2 p. 199; 2, 59 p. 218; 2, 41 p. 214). Erant ergo diaconi apud Scotos, et quo munere functi sint ne dicam Columbae certe Adamnani temporibus, forte fortuna docet una ex tribus illis Adamnani narratiunculis, quippe in qua inveniantur haecce: *ad fontem sumpto pergit* (Col.) *urceo, ut ad sacrae eucharistiae mysteria aquam quasi diaconus fontanam hauriret, ipse quippe illis in diebus erat in diaconatus gradu administrans* (2, 41 p. 214). Quibus verbis quid clarius? Diaconorum fuisse in administrando munere episcopis ad manus esse pro certo constat.

Sed quid de ipsis episcopis, quid de presbyteris judicandum est? Reperiuntur enim praeter diaconos et in annalibus et apud Bedam et in vitis Sanctorum et presbyterorum et episcoporum nomina. At episcopos illos nisi nomine diversos non fuisse a presbyteris nequaquam unus Ebrardus (p. 168 sqq.) contendit (vid. Skene II, p. 93). Ergo non solus erravit. Nam erravisse eum testis est Adamnanus. Narrat enim (1, 35 p. 210 sqq.) episcopum quendam de Momoniensium provincia Jonam venisse ibique humiliter presbyterum se esse professum esse et aliis rebus et ita, ut jussus a Columba *Christi corpus ex more conficere* Columbam advocaret, *ut simul quasi duo presbyteri Dominicum panem frangerent.* Sed Columbam, quem, qui esset ille, fugere non potuisset, cum ad altaria accessisset intuitum faciem ejus sic eum compellasse: *Benedicat te Christus, frater; hunc solus episcopali ritu frange panem; nunc scimus quod sis episcopus: quare hucusque te occultare conatus es, ut tibi a nobis debita non redderetur veneratio.* Unde non solum sequitur apud Scotos quoque fuisse episcopalem gradum eumque superiorem presbyteris, sed etiam apparet episcoporum fuisse privilegium eucharistiam celebrare ritu pontificali i. e. non assistente altero. Itidem ex alia, in quam Skenius (II p. 94) demum animum meum convertit, Adamnani narratiuncula (1, 29 p. 208), quam enarrare longum est, colligendum est episcoporum fuisse solemni ritu in sacerdotum numerum recipere clericos.

Quae cum ita sint, etiam difficilior facta est quaestio, quid de monasteriorum eorumque abbatum auctoritate judicandum sit. Sed ad solvendam eam, si solvi potest, praesto adest epistula illa, quam anno 640 Johannes IV papa genti Scotorum misit (Beda h. e. 2, 19 § 143 sq.) inscripta: *Dilectissimis et sanctissimis Tomiano, Columbano, Cromano, Dinnao et Baithano episcopis; Cromano Ernianoque, Laistrano, Scellano et Segeno presbyteris; Sarano ceterisque doctoribus seu abbatibus Scottis.* Haec

enim epistula, utpote scripta eo tempore, quo cum Hibernis sedi apostolicae fuit commercium — nam septem annis ante legati ex Hibernia Romam venerant (ep. Cummeani, Usser. vet. ep. hib. syll. p. 23 — cf. Skene II p. 161) — omnium quae exstant de hac re testimoniorum optimum est. Neque tamen bonum, nam et, qui fuerint nonnulli eorum, quibus inscripta est epistula, in occulto latet, et proh dolor! ambigue dictum est illud *ceterisque doctoribus seu abbatibus Scottis.* Certo enim ad solum Saranum referendum non est, sed utrum de omnibus an de solis Cromano Ernianoque et sequentibus dictum sit, dubitare licet. Ad omnes referenda esse illa verba, mea est opinio, neque, cum permagni momenti sit haec res, taceam, quibus ad hanc opinionem adductus sim argumentis: Ac primo quidem quod ipsis verbis haec interpretatio melius quadrat quam illa, secundo quod, sicut infra videbimus, Nordenhymbrorum episcopi iidem omnes abbates fuisse videntur, tertio quod Ardmachae quae Tomiani, Clonardi quae, ut videtur, Columbani sedes fuit (cf. Stevenson in annotationibus ad Bedae l. c.[1]) monasteria fuisse constat (cf. supra 55 sq.), quarto quod in Adamnani vita Columbae (1, 40 p. 212) occurrit Conallus quidam *episcopus,* quem eundem monasterio cuidam praefuisse sermonis contextus docet, quinto quod apud eundem Adamnanum mentio fit Colgii cujusdam, *primarii alicujus ecclesiae* (1, 17 p. 204), qui cum sermonem habuisse dicatur cum Columba *de uno tenaci primatium de praepositis suae dioeceseos* (1, 29 p. 208) episcopus et, cum saepius apud Columbam Jonae commoratus sit, monachus est habendus (cf. Adamn. 1, 27 p. 207), sexto denique quod in annalibus saepe occurrunt episcopi qui iidem abbates erant (vid. Skene II, p. 44 not. 8). Sed levissimum est illud sextum. Nam cum annalium qui exstant antiquissimi, Tigernachi († 1088) annales, saeculo demum undecimo conscripti sint, pauca illa, quae in annalibus prodita sunt hujusmodi: *ille episc. obiit, ille episc. et abb. obiit, ille abb. obiit* idonea esse non videntur, quibus argumentis utamur. Etsi enim antiquioribus scriptis usi sunt Tigernachus et posteriores, tamen certa esse, quae de dignitate singulorum prodiderunt, quis affirmet? Non vero omnino nego fieri posse, ut aliquando id ipsum, quod annales ejusdem urbis vel monasterii praesules modo abbates modo episcopos et abbates nominant, ad adumbrandam ecclesiae Scotorum historiam aliquid momenti afferat, sed itidem fieri potuit, ut nominum ac dignitatum minus diligenter rationem haberent scriptores. Itaque

---

[1] Verba adderem de Baithano, nisi falsa essent, quae Stevenson in annotatione de eo profert. De altero enim Baithano Adamnanus locutus esse videtur, de altero Johannes papa.

dubito annon jam hodie cuiquam liceat nominibus illis argumentari, certe scio me ipsum et omnes, qui nesciant, quibus auctoribus singulae episcoporum vel abbatum mentiones nitantur, hujusmodi argumentis rem potius perturbaturos esse, quam explanaturos. Quamobrem in iis, quae proferam, ad annales rarissime provocabo.

Sed redeamus ad Johannis papae epistulam. Concedendum est omnes, quibus inscripta est, fuisse abbates, sed non negligendum nonnullos solos nominari episcopos. Et cum episcoporum et presbyterorum et dignitatem et munera diversa fuisse supra (p. 58) cognoverimus alia fuisse necesse est munera Tomiani, Columbani reliquorum episcoporum et abbatum, alia Cromani et reliquorum abbatum presbyterorum. De qua re quid senserit ille, qui epistulam scripsit, Johannes papa, facile conjectura potest colligi. Haud dubie enim sibi persuasit, Hiberniam, quamvis maxima esset monasteriorum auctoritas, tamen ita descriptam esse in episcopales regiones, ut episcopi, qui iidem abbates erant, singularum dioecesium curam gererent. Hanc opinionem, etsi Toddius (cf. Loening II, p. 413 et 445), quem Skenius secutus est (II, p. 94) aliter videtur sensisse, a vero multum aberrasse, non habeo, quod putem. Accedunt enim ad ipsius epistulae auctoritatem alia argumenta, quae rem ita sese habuisse comprobent.

Primum quod Patricii temporibus episcopos, ut ita dicam, parochiales in Hibernia fuisse putemus necesse est, quod nec Skenius negat nec Toddius negasse videtur. Nam si aliquid de Patricio constat, hoc certum est. Non provocabo ad vitas neque ad illud Patricii „*Patricius Hibernione constitutus episcopus*“ (ep. 1 H. and St. II, 2 p. 314) neque ad catalogum Sanctorum, in quo haec reperiuntur: *primus ordo Catholicorum Sanctorum erat in tempore Patricii. Et tunc erant Episcopi omnes . . . . . Hi omnes episcopi de Romanis et Francis et Britonibus et Scotis exorti sunt* (H. and. St. II, 2 p. 292), sed ad patrios ipsius Patricii mores (supra p. 29) et coram omnibus, quibus Patricium cum Romanis necessitudinem habuisse persuaserim, ad Romanae ecclesiae consuetudinem. Quodsi in Hibernia olim fuerunt sedes episcopales, haud facile quisquam sibi persuadeat omnem prioris status memoriam evanuisse inter Scotos.

Secundum quod summis in honoribus apud Scotos habebatur Hieronymus. Cujus aetatis qui fuisset status ecclesiasticus vel hierarchicus, Scoti non ignorabant, immo Columba Luxoviensis, Hiiensis Columbae aequalis, ipsius Hieronymi verbis utitur, ut quae sint episcoporum, quae monachorum officia doceat: *St. Hieronymus*, inquit (ep. 2, bibl. max. patr. 12, p. 26 D.) *jussit episcopos imitari apostolos, monachos vero docuit sequi patres*

perfectos. Quod quis audiens sibi persuadeat nullum tunc fuisse in Hibernia episcopum similem potestate iis, qui Hieronymi temporibus fuerant?

Tertium quod apud Adamnanum episcoporum ita fit mentio, ut non solum appareat Adamnanum fecisse discrimen inter eos qui episcopi et eos qui abbates apellabantur (vid. 3, 90 in fine p. 229 cf. 91), sed etiam ut manifestum fiat ipsum Adamnanum putasse singulis episcopis fuisse parochiam certis finibus inclusam (1, 29, p. 208 „*unus de praepositis tuae dioeceseos*“ cf. supra p. 59; 1, 40, p. 212. 3, 90, 229 „*episcopus Laginensis*“*?)*

Quartum denique, quod, sicut postea videbimus, in Nordanhymbria sedes episcopales non defuerunt.

Quae cum ita sint, in illo vix papa erravit, quod Hiberniam in episcopales parochias divisam esse putavit. Quae divisio num unquam legibus sancita sit, in medio relinquo, quia conjiciendum est eam profectam esse de civili populi Hibernici divisione, de qua supra dictum est (p. 56).

In singulis autem parochiis qui fuerit status ecclesiasticus haud facile est ad cognoscendum, quia in medio relinquenda est haec gravissima quaestio, utrum omnes episcopi, omnes presbyteri et diaconi monachi fuerint, an praeter permultos eos, qui monachicam vitam amplexi erant, alii fuerint clerici nulli monasterio ascripti. Negaverunt hanc quaestionem Toddius et Skenius (II, p. 42) neque ego dubitarem accedere ad eorum sententiam, nisi pauca essent, quae rem in dubitationem vocarent. Dixit enim aliquando, ut modo commemoravi, Columba Luxoviensis, *Sanctum Hieronymum jussisse episcopos imitari apostolos monachos vero docuisse sequi patres perfectos; alia enim esse et alia clericorum et monachorum documenta et longe ab invicem separata* (ep. 2 bibl. max, patr. 12, p. 26 D.). Quod etsi Gallis dictum est, tamen suspicionem movet in Hibernia quoque fuisse episcopos, qui monachi non essent certe non ejusdem strictioris observantiae monachi atque Columba (cf. infra).

Quid? Nonne et ipse ille Aidus *civitatis Sleptiensis episcopus* (Lib. Ardm. Capit. Aidi, Betham. II, app. XLIV) eandem suspicionem movere potest, simulatque legeris, quae de discrimine inter episcopos monasterii et episcopos civitatis Harttungius protulit (Diplomat.-hist. Forsch. p. 35 cf. not. 1)? Alia vero hujus rei testimonia me non invenisse confiteor, sed haud scio an justo plus viri docti rationem habuerint vitarum eorum Sanctorum, quos monachos fuisse certum est. An mirandum esset, quod, si qui fuissent in ecclesia Scotorum episcopi, presbyteri, diaconi, qui monachi non essent, memoria eorum deleta esset apud illos, qui monachorum vitas conscriberent? Sed

certum est, si qui fuerint clerici monachicam vitam non amplexi, exiguum fuisse numerum eorum.

Nam relicta in medio illa quaestione pro certo affirmandum est in singulis parochiis ipsa monasteria ita, ne dicam omnem, certe fere omnem animarum curam gessisse (Skene II, p. 72) ut monachi vel abbates presbyteri parvulos baptizarent (Adamn. vit. Col. 2, 47 p. 215; 2, 63, p. 220) improbos objurgantes corrigerent (ib. 1, 40, p. 212) iisque poenitentiae mensuras definirent (ib. 1, 17, p. 204), eucharistiam in proxima ecclesia celebrandam curarent, ipsis synodis adessent (ib. 3, 85, p. 228), denique quibuscunque laicorum aerumniis quantum poterant curam adhiberent (ib. e. g. 2, 74, p. 224).

Sed absit, ut putes ita descriptas fuisse illas monasteriorum parochias, ut nemini liceret in alterius monasterii parochia ministeriis ecclesiasticis fungi, — e contrario permulti illi monachi, qui relictis patriis regionibus alias insulae partes peragrabant (vid. infra), minime vetiti erant nec baptizare (Adamn. vit. Col. 2, 47, p. 215) nec confitentibus operam dare (ib. 1, 17, p. 204), item absit, ut putes omnibus monasteriis hanc tam arctam cum laicis necessitudinem fuisse et omnes monachos hanc canonicorum speciem praebuisse, — e contrario alterum quoddam et monasteriorum et monachorum genus, anachoreticum, ut ita dicam, in ecclesia Scotorum exstitisse infra videbimus; nunc jam tempus est, ut expositis, quae de monasteriorum auctoritate generatim dicenda erant, redeamus ad priorem earum quaestionum, quas supra (p. 57) proposuimus. Quaeramus igitur num singulare fuerit, quod abbas Hiiensis presbyterus tanta apud septentrionales Scotos et apud omnes Pictos florebat auctoritate.

Certo singularis erat et tanta auctoritas et, nisi fallor, tanta auctoritas abbatis presbyteri. Nullum enim aliud monasterium in cunctis populis principatum tenuisse supra (p. 56) jam vidimus — neque hoc unum conspicuum est. Immo abbati Hiiensi etiam episcopos subjectos fuisse non solus Beda testis est (supra p. 57), sed etiam, quinam fuerint illi episcopi, non ignoramus: Lismorensis (Skene II, p. 133), Cingaradhensis (ib. et H. and St. II, 1, p. 107) Lindisfarnensis cum iis, qui ipsi erant subjecti. Ergo dignitate simili archiepiscopi abbas Hiiensis exornatus erat isque unus in antiqua Scotorum ecclesia, nam in Hibernia tunc temporis episcopos alteri episcopo vel archiepiscopo fuisse subjectos, nullum exstat vetus testimonium.[1] Accedit, ne dicam de Aidano rege a Columba consecrato (Adamn. vit. Col. 3, 86, p. 228), quod abbas Hiiensis solus jus excommunicandi exercebat (ib. 2, 58, p. 218), cum in Hibernia haec

---

[1] De principatu sedis Ardmachanae vid. supra p. 56 not. 3.

potestas penes synodos fuisse videatur (ib. 3, 85, p. 228). Haec tanta auctoritas certo singularis erat, nec tamen miranda est iis, qui ab illo ipso monasterio Hiiensi omnes illas regiones, in quibus principatum tenebat, sacra christiana suscepisse in memoria custodierint.

Alterum illud, quod ipsa insula Jona habere solebat *semper* abbatem presbyterum, et ipsum singulare fuisse equidem persuasum mihi habeo, etsi non nego me nescire, an alibi quoque *nonnunquam* abbates presbyteri ita praefuerint monasteriis episcopalem curam in sua regione gerentibus, ut ipsi neque episcopali dignitate exornati fuerint neque episcopali munere functi sint.[1] Attamen nego fuisse alia similis auctoritatis monasteria, quibus *semper* abbates presbyteri praeessent. Certe Beda huic nostrae sententiae favit. Nam cum moris illius causam afferat exemplum primi doctoris illius (Columbae), qui non episcopus sed presbyterus exstiterit et monachus, apparet eum putasse eundem morem non inveniri in iis Hiberniae regionibus, quae ab Hiiensium dominio liberae erant. Quod si ita est, aliam atque eam, quam Beda profert, moris illius causam quaerere minime oportet.

Summa igitur nostrae de Hiiensis monasterii auctoritate sententiae haec est: Principatus ille, quem monasterium Hiiense tenebat, primitus simillimus erat ei, quem multa in Hibernia monasteria obtinebant, sed postea cum quia tota gens Pictorum [et Nordanhymbrorum] ab ipsis Hiiensibus in societatem ecclesiae assumpta est, tum quia omnes Columbae successores deprecari solebant episcopalem dignitatem, qua Columba, quippe cui initio ea opus non esset, caruerat, talis est factus, ut tantum sui similis fuisse videatur.

Satis haec dicta essent, nisi reliqua esset una de hac re quaestio. Nam cum neque apud Scotos privilegium non fuerit episcoporum consecrare presbyteros atque episcopos, porro cum constet certe nonnumquam eos episcopos, qui abbati Hiiensi subjecti erant, consecratos esse in ipsa insula Jona (Beda h. e. 3, 3, § 164, cf. 3, 17, § 196), exsistit quaestio, a quonam illi sint consecrati. Quae quaestio, cum ipse abbas presbyterus haud dubie episcopos non consecraverit neglecto honore episcopo debito (cf. supra p. 58), redit ad illam, num in ecclesia Scotorum fuerint episcopi certis quibusdam sedibus non ascripti, sed nihilominus episcopali dignitate exornati. Dubium enim est, utrum, si quae in monasterio Hiiensi administranda erant ministeria episcopalia, acciti sint, quod Skenius putat (II, p. 163 sq.), episcopus Cingaradhensis vel de Hibernia quidam, an in ipsa insula Jona inter monachos fuerit unus vel plures episcopali dignitate ornati.

---

[1] De hac re vid. infra p. 64.

Skenii vero conjectura ne dicam falsa certe verisimilis non est, — quod explicare longum est, alterum igitur illud fuisse puto. Itaque de episcopis, ut ita dicam, monasterialibus pauca prioribus addenda sunt.

Affirmant enim Toddius (cf. Loening p. 445 not. 1), Skenius (II, p. 44), alii saepissime in monasteriis Scotorum in monachorum numero fuisse unum vel duo episcopos, qui omnia ministeria episcopalia, quae opus erant, administrabant, nihilominus autem, quatenus monachi erant, abbati subjecti manerent. Hanc sententiam, de qua supra verba non feci, quia idonea non videtur, qua confirmetur omnino apud Scotos dignitatem episcopalem fuisse *a personal and not an official dignity* (Skene II, p. 44), hoc loco non impugnem. Nam etsi annalium, quibus Skenius utitur, testimonia leviora sunt, tamen et Toddio, rerum Hibernicarum peritissimo, ubi de factis agitur, fidem denegare mihi non licet, et ipse rem paucis confirmare possum. Exstat enim apud Adamnanum mentio episcopi cujusdam Jonae saepe commorantis (1, 29, p. 208, cf. 1, 17, p. 204) et apud Bedam alterius, nomine Ceollach, natione Scoti, qui non multo post quam episcopatum mediterraneorem Anglorum simul et Merciorum susceperat, *relicto episcopatu reversus est ad insulam Hii* (h. e. 3, 21, § 212). Itaque etsi nescio, quibus testimoniis Toddius rem confirmaverit, tamen non dubito adeo ei fidem adjungere, ut concedam fieri potuisse, ut in illis monasteriis, quae episcopalem in sua regione gerebant curam, non ipsi abbates iidem episcopi essent sed unus ex monachis, qui tamen abbati subjectus maneret. Sed raro hoc factum esse puto neque moris fuisse sicut in monasterio Hiiensi, sed casu factum esse, si forte abbas excusatione monachicae modestiae dignitatem episcopalem deprecatus erat.

Exemplum hujus rei ipse non inveni nisi Virgilium, Scotum, episcopum Juvavensem († 784) qui, donec ipse episcopus consecratus est, ad administranda ministeria episcopalia usus est Dobdagreco episcopo et ipso natione Scoto (cf. Rettberg, Kirchengeschichte Deutschlands II, p. 233 sq., cf. p. 234 not. 18), sed ideo facile mihi persuaserunt Toddius et Skenius, quod nisi hac re manifestum non fit, quomodo fieri potuerit, ut nonnumquam in Hibernia (Adamn. vit. Col. 1, 17, p. 204; 1, 29, p. 208; 1, 35, p. 210) et saepissime posterioribus temporibus in Germania occurrant nobis episcopi peregrinantes. Nam cum in Hibernia episcopales sedes ita cum monasteriis conjuncta fuerint, ut penes ipsa monasteria principatus dioeceseos fuisse videatur, apparet iis episcopis, qui vice abbatis forte consecrari nolentis episcopalibus ministeriis fungebantur, tam arctam cum sua vel rectius abbatis dioecesi necessitudinem non fuisse, ut si forte

alter quidam episcopus in monasterium venerat (ut Beda h. e. 3, 21, § 212), iis non liceret relicto monasterio peregrinatis in alias regiones officia episcopi cum simplicis monachi vita commutare. — Unde fieri potuit, ut duo vel plures in uno monasterio commorarentur episcopi, quin etiam factum est, ut affirmat Toddius (vid. Loening II, p. 445 not. 1), quod comprobant Muirchu (vit. Patr. Betham II, app. p. XI) et Tirechanus (annot. ib. XXVII), quippe qui finxerint Patricii jam temporibus duos episcopos eodem tempore eidem ecclesiae praefuisse.

Haec de episcopis monasterialibus, — incertiora sane, quam ut me ipsum impediant optare, ut haec tota de episcopis monasterialibus quaestio exclusis incertis posteriorum testimoniis denuo tractetur ab iis, qui res Hibernicas penitus noverint. Quod si factum erit, spero fore, ut manifestius fiat, quod supra contendi, in ecclesia Scotorum praeter hos monasteriales nequaquam defuisse episcopos parochiales.

An inde, quod in Gallia saeculi octavi temporibus nonnumquam iidem episcopi monasteriales inveniuntur — ac quidem plerumque ita, ut ipsi abbates iidem episcopi fuisse videantur, rarius ita, ut episcopi illi reperiantur in monachorum numero versantes et abbatibus subjecti — sequitur tunc temporis in Gallia defuisse sedes episcopales? Immo ipsi episcopalium Galliae urbium praesules et ipsi episcopi Romani, quae jura essent episcoporum monasterialium, privilegiis firmaverunt (Harttung, p. 34—47). Eam ipsam ob causam Harttungio (p. 34) non concedam episcopos illos monasteriales ecclesiae Gallicanae utpote ab episcopis gubernatae et in parochias episcopales divisae tam male quadrasse, ut facere non possimus, quin putemus non sine opera Scotorum factum esse, ut in Gallia quoque illi appareant. Ab ipso, inquit, hierarchico statu episcopi monasteriales profecti esse non possunt. Atqui a monasteriis et in Gallia et in Hibernia. Itaque raro inveniuntur in Gallia, saepius apud Scotos, quorum universa ecclesia monasterii speciem praebebat.

Huc enim redeunt omnia, quae conspicua et singularia fuisse visa sunt nobis ecclesiae Scotorum statum considerantibus. Nam primitus neque episcopi neque presbyteri neque diaconi in Hibernia diversi fuisse videntur ab iis, qui in aliis ecclesiis erant, sed omnibus illis eorumque officiis vita monachica peculiarem quandam speciem conciliaverat. Quin etiam tota ecclesia et ipsa laïcorum vita certis monachatus signis notata erat. Nam ut in monasteriis monachi omnia sua peccata abbatibus confiteri solebant, ut ille poenitentiae mensuras definiret, ita etiam laici more ad id tempus in aliis ecclesiae partibus inusitato omnia sua peccata sacerdotibus confitebantur (Adamnan, vit. Col. 1, 17, p. 204; 1, 40, p. 212; 2, 70, p. 222).

Quae cum ita sint, magni momenti esset ad cognoscendam ecclesiae Scotorum naturam cognovisse, unde haec tanta monachorum et ipsius vitae monachicae auctoritas orta esset apud Scotos. Sed dubito, annon haec questio solvi possit. Certe frustra Skenius eam solvere conatus est (II, p. 45—50). A Sti Martini monasterio Turonensi duabus viis rei monachicae amorem in Hiberniam pervenisse putat, priore per Candidam casam, Scti Niniae monasterium, altera per Britones Armoricae et Cambriae. Niniam enim, quem Beda (h. e. 3, 4 § 158) prodidit fuisse, *ut perhiberent*, episcopum de natione Britonum, *qui Romae regulariter fidem et mysteria veritatis edoctus australibus Pictis verbum dei praedicasset sedemque episcopalem Sti Martini episcopi nomine et ecclesia insignem habuisset ad Candidam casam*, Skenius posterioris temporis scriptoribus (vit. Nin. saec. XII) nimiam fidem habens opinatus est non solum vixisse temporibus Scti Martini (II, p. 3) sed etiam Turonibus visitasse ipsum illum Sanctum (II, p. 45) ejusque consilio usum esse in construenda sua ecclesia, quam cum monasterio conjunctam fuisse aliis posteriorum vitis fretus affirmat. Inde per eos, qui in Niniae monasterio eruditi essent, inter quos et ipsum Findbarrum, Columbae Hiiensis magistrum, et alios secundi Sanctorum Hiberniae ordinis sanctos enumerat, in Hiberniam transmigrasse asseverat vitae monachicae amorem. At quis est, cui Skenius persuadeat, ut fabulis posteriorum fidem adjungat? Num fieri potuit, ut posteriores de Niniae historia melius scirent quam Beda, qui ne aetatem quidem ejus novit et omnia, quae narrat, non rettulit nisi addito illo „*ut perhibent*"? Nonne inter omnes constat exercitatissimos fuisse posterioris temporis Scotos in fingendis Sanctorum vitis?

Ergo haec prorsus abjicienda sunt. Neque minus, quamquam auctoribus paullo melioribus nituntur, illa, quae de altera via Skenius protulit. Catalogus enim Sanctorum a Gilda (de quo vid. supra p. 13) et Davide, Meneviensi, et Doco Britonibus secundi ordinis sanctos *missam accepisse* refert (H. and St. II, 2, p. 293). Itaque his Britonibus cum Hibernia necessitudinem fuisse forsitan credi possit. Sed quid Skenius? Primum Britonum quoque ecclesiam, et Armoricanam utpote archiepiscopo Turonensi subditam, et postea Cambrensem eodem, quo Scotorum ecclesia, rei monachicae amore imbutam fuisse posuit, deinde Gildam et socios duodecimi saeculi vitis usus enarrat in Hibernia, cujus *incolae paene catholicam fidem reliquissent* (vit. Gildae Skene II, p. 50 not. 19), ecclesiasticum ordinem restaurasse et in discipulorum numero habuisse Finianum, Clonardensem, alterum Columbae magistrum et teste vita ejus, ceteris non priore, patrem omnium paene in Hibernia monasteriorum (Skene II, p. 49 sq.).

Sed, quamvis repudianda sit haec Skenii sententia, tamen observandum est, quam saepe occurrat apud Scotos Sti Martini nomen (cf. Warren loc. in indice comm.), quam vetusta sit apud eos sancti illius veneratio (cf. Jonas, vit. Col. Lux. Mab. Act. SS. II, ann. 615, 44, p. 23, cf. 42, p. 22; Adamnan, vit. Col. Hiiens. 3, 90, p. 229). Qua de causa aliquam unquam Hibernis cum Sti Martini monasterio necessitudinem fuisse pro certo habendum est.[1] Sed qualis vel quando fuerit, in obscuro latet. Fortasse jam ipse Patricius in multis suis itineribus etiam Turones venit. Nam ipso Patricio testante jam tunc in Hibernia erant monachi et virgines Christi (Confessio p. 308 H. and St. II, 2). Itaque, etsi amor ille vitae monachicae et monachorum illa mirabilis auctoritas Patricii temporibus in Hibernia haud dubie non jam erat, tamen jam tunc vita monachica in Hiberniam translata est. Nam pro certo constare eam aliunde allatam esse in Hiberniam nemo nisi Ebrardus (p. 160) infitias ibit. Qua de causa vitae monachicae primordia apud Scotos eadem atque alibi non esse non potuerunt. Sed ut duo germani simillimi inter se in pueritia suos quisque, cum adoleverit, mores ostendit, ita et Scotorum vita monachica.

Quin etiam inter ipsos Scotos varia monachorum genera distinguenda esse non solum catalogus Sanctorum, in quo et secundi et tertii ordinis sanctos *diversas regulas* habuisse dicuntur (H. and St. II, 2, p. 292 sq), testis est, sed ipsa res docet; (aliud testimonium apud Usser, Antiqu. p. 919). Omnium maxime inter se differebant genus eorum, qui in monasteriis medio in populo constitutis vitam agentes corrigendo populo operam navabant — hi simillimi posterioris temporis canonicis — et genus eorum, qui eremitarum more solitarii vitam agebant. De illis supra satis est disputatum, de his pauca addam.

Ac primum quidem facere non possum, quin Skenii sententiam impugnem, qui etsi non negat Columbae jam temporibus exstitisse eremitas, tamen apud tertii demum ordinis sanctos, „*qui in desertis habitabant*“, illam vivendi rationem increbuisse putat (II, p. 248 sqq.). Cujus rei cum praeter catalogum Sanctorum nullum exstet testimonium — neque unum illud expressis verbis

[1] Itaque, cum in ipso Turonensi monasterio inveniantur episcopi monasteriales (Harttung p. 34) neque desint testimonia, ex quibus liceat suspicari multo antiquiorem esse in Gallia illum morem quam prima, quae Harttungius profert, ejus exempla (cf. Harttung p. 34), tantum abest, ut certa sint, quae Harttungius de origine episcoporum monasterialinm opinatus est, ut liceat putare, Scotos a Gallis illum morem accepisse. Sed in medio adhuc relinquenda est haec questio, donec ipse Harttungius, qui primus accuratius de hac re disseruit, vel alius quidam funditus exquisiverit hanc rem, multo difficiliorem, quam ut paucis dijudicetur.

dictum — unius Columbae Luxoviensis, cujus scripta omnium Scotorum exceptis Patricii antiquissima sunt, de vita eremitica dicta, quae infra commemorabuntur, idonea sunt, quae Skenii opinionem diluant. Equidem aliud fuisse sextum aliud septimum ecclesiae Scotorum saeculum concedere non possum, certe ecclesiasticae Scotorum historiae fontes tales non sunt, ut nos adhuc hodie duo illa saecula discernere possimus. Ergo de utroque saeculo iisdem verbis dicendum est neque opus est quaerere, utrum Adamnanus eremitarum mentionem faciens revera locutus sit de aetate Columbae an de sua ipsius. Satis habemus scire fuisse apud Scotos intra VI et VIII saeculum eremitas, qui remoti ab hominum domiciliis plane solitariam vitam agebant (Adamn. vit. Col. 1, 39, p. 211; 3, 102, p. 235). Sed hoc minime proprium erat Scotorum, neque commemoratione dignum esset, nisi ab his eremitis vel ex eodem, quo eremitae commovebantur, monachorum fervore profectum esset tertium monachorum genus — peregrinantium.

Hoc Scotorum proprium erat, utpote ortum ex ipso ecclesiae Hibernicae statu. Nam cum in aliis ecclesiae partibus, in quibus monasteriis nulla cum regionibus suis necessitudo erat, monachi postquam collegio monachorum accesserunt, mundum effugisse sibi viderentur, apud Scotos omnes ii, qui *intaminatos a mundo se custodire* cupiebant, in iis monasteriis, quae medio in populo condita erant, voti sui compotes fieri non poterant. Unde factum est, ut permulta monasteria constituerentur in insulis juxta Hiberniae oram sitis (Skene II, p. 62 sq.). Alii omnino patriam deserentes paucis cum sociis in insulis majore intervallo a patria remotis vel in ipso medio Oceano cellas sibi construxerunt (Adamn. vit. Col. 1, 5, p. 200; 10, p. 202, cf. II, 76, p. 224; 1, 19, p. 204 et. alibi), alii vel soli (Adamn. 1/3, p. 197) vel cum sociis ut uterque Columba emigraverunt in alienas terras. Tales, qui relicta patria *peregrinabantur*, opus et Christo gratissimum et ipsis salutiferum edidisse putabantur, nam *pro Christo* peregrinabantur (Adamn. 1, 3, p. 197, cf. Beda h. e. 3, 4 § 161 et 5, 9 § 376) vel *ad delenda peccamina* (Adamn. 2, 70, p. 222, cf. 1, 21, p. 205). De qua re nullum exstat melius testimonium quam libellus ille de vita Columbae Hiiensis ita conscriptus, ut vitam intexeret orationi partim latino partim Hibernico sermone de Genes. 12, 1 habitae (cf. supr. p. 54). Etsi enim temporibus aetate Columbae longe posterioribus conscriptus est, tamen eandem de peregrinando sententiam tulit atque priores, idque sermone tam distincto et dilucido, ut pauca transscribere mihi liceat:

Quod autem patri fidelium precipitur, hoc omnibus filiis ejus implendum relinquitur (Skene II, app. p. 469) . . . *tribus autem modis patria deseritur* (p. 461) . . *aliquando enim patria corpore*

tamen relinquitur nec mens a carnalibus studiis alienatur (ibid.) . . *aliquando mente tamen patria relinquitur et non corpore* (p. 472) . . *aliquando mente et corpore ut sunt hi, quibus dicitur: vos qui dereliquistis omnia propter me etc. Mt. 19, 29, vel Mc. 10, 30* (p. 472) . . *hi sunt veri peregrini, qui cum psalmista possunt dicere: Advena sum apud te, domine, et peregrinus sicut omnes patres mei. Multitudes of the faithful servants of the Lord, moreover, both of the Old and New Testament have perfectly observed this profitable counsel* (p. 473).

Peregrinaturus de Scotia enavigavit et ipse Columba (Adamn. 1, 11, p. 202). Ergo monasterium Hiiense primitus unum ex iis erat, quae peregrinorum monasteria jure nominarentur, neque postea gliscente monasterii auctoritate talis monasterii speciem videtur abjecisse.

En habes aliam causam, qua factum est, ut abbas Hiiensis presbyterus non episcopus esse soleret. Apparet etiam, quam pravum sit ex monasterio Hiiensi aestimare omnia Hiberniae monasteria.

Restat, ut proferam, quae ipsam monachorum vitam adumbrent — ac quidem Hiiensium, nam de aliis nil constat, dubium vero non est, quin in iis Hiberniae monasteriis, quae medio in populo constituta erant, monachorum vita diversa fuerit ab Hiiensium. Sed cum de vita monachorum peregrinantium infra, ubi de Columba Luxoviensi agetur, plura dici possint, ibi et verbosius rem explicabo et Ebrardi erroribus diluendis operam dabo, hoc loco paucis rem absolvam et ea sola commemorabo, quae aliqua de causa conspicua esse videntur.[1] Primum autem commemoratione dignum est, quod ii, qui monachorum collegio accedere cupiebant, non praemisso anno probationis statim recipiebantur, simulatque in ecclesia *flexis genibus votum monachiale voverant* (Adamn. vit. Col. 1, 27, p. 207). Cujus voti quae fuerit vis, vix cognosci potest. Nam cum liceret monachis peregrinantibus paucos tantum menses commorari in monasterio (Adamn. vit. Col. 1, 87, p. 229) et ipsis iis monachis, qui in monasterio educati erant, *permittente abbate* (ib. 1, 10, p. 202) peregrinari in alias regiones, certe per fraudem fieri potuit, ut aliquis ex monachis „*reverteretur ad saeculum*“ (ib. 1, 20, p. 205). Nemini vero licebat discedere invito abbate. Hujus auctoritas apud familiam suam i. e. apud monachos suos, quos fratres vel filios vel filiolos appellabat („*familia Columbae*“ Tirech. annot.

[1] Tacebo de regula Columbae hibernico sermone conscripta (H. and St. II, 1 p. 119), quam neque a Columba scriptam esse neque, quippe quae de vita eremitarum agat, ad adumbrandam monachorum vitam quicquam momenti afferre, manifestum est (cf. H. and St. II, 1 p. 121 not. a).

Betham II, app. p. XXVI; Adamn. vit. Col. 2, 69, p. 222; 1, 15, p. 203; 1, 14, p. 203 et alibi), tanta erat, ut nonnumquam flexis genibus ad eum accederent monachi (ib. 3, 87, p. 228, cf. 1, 6, p. 201), ut ex arbitrio etiam inusitata hora vel ipsa nocte per suum proprium ministrum (Adamn. vit. Col. 1, 11. 22. 25. 26 alibi) pulsa clocca fratres in ecclesiam convocandi potestatem haberet (ib. 1, 11, p. 202; 1, 21, p. 205). Nec tamen ille solus omnibus monachorum studiis vel operibus nec solus regendis populis praeerat, sed a senioribus ita adjuvabatur, ut graviores res non sine eorum consilio dijudicaret (Beda h. e. 3, 5 § 164) et ut unum ex illis junioribus praeficeret praepositum (ib. 1, 33, p. 210) vel (ib. 1, 30, p. 209) operum dispensatorem. Tribus autem diurnis operibus apud Adamanum monachos invenimus intentos, iisdem, quae in regula, quae perperam Columbae attribuitur (H. and St. II, 1 p. 120), monachis mandantur: orationibus, laboribus, lectionibus. Neque hac in re quicquam conspicuum est nisi in orationibus decantationes illae psalmorum (Adamn. vit Col. 1, 31, p. 209), de quibus infra plura dicenda sunt, in laboribus tria, quae occurrunt eorum genera, primum scribendi (Adamn. 1, 22, p. 206), secundum eorum, qui in ipso monasterio perficiendi erant (Adamn. 1, 22, p. 206; 2, 52, p. 217), tertium eorum, quos agricultura ferebat (ib. 1, 30, p. 209). Denique non omittam commemorare labores illos nequaquam in singulas diei horas certa quadam lege fuisse distributos, sed perfectos esse vel quando necessitas aderat vel quando monachis vel abbati collibebat (Adamn. 1, 30, p. 209; 1, 21, p. 205). Attamen horariarum precum mentionem casu quodam ab Adamnano factam non esse opinor.[1]

Haec hactenus. Nam ad comparandam ecclesiam Scotorum cum Romana Columbae historia ansam non praebet, quia tunc temporis de iis rebus, quae posterioribus temporibus controversiam excitaverunt, non jam agebatur. Quanquam enim Columba eadem festi paschalis computatione utebatur et eadem tonsura attonsus erat atque posterioris temporis Scoti — nam et Columba Luxoviensis utrumque morem jam tunc in Hibernia fuisse testis est et Beda prioris mentionem fecit (h. e. 3, 4 § 160) — tamen, cum Columba nihil commercii habuerit cum Romanis, abjecta Adamnani fabula, quae Columbam facit praenuntiantem futuram de celebrandis festis diebus paschalibus controversiam (1, 8, p. 201), suspicandum est, eum non novisse, quid Scotorum proprium sit.

Neque omnino de utroque more multa dicenda sunt. Nam

[1] De puellarum monasteriis, de quibus Adamnanus nisi semel (2, 75, p. 224) mentionem non fecit, infra (p. 81) dicam.

cum ea, qua Scoti utebantur, computandi festi paschalis ratio eadem fuerit, quae Britonum — quod profecto mirum non est, etsi Patricio cum Romanis necessitudo fuit, nam eadem tunc Romani utebantur festi paschalis computatione, qua Britones — ad ea, quae supra (p. 19 sqq.) disserui, lectores delegare possum. Neque habeo, quod de tonsura prioribus (p. 21 sq.) addam. Et ipsa enim eadem erat apud Scotos, quae apud Britones — hoc certum est, sed utrum jam Patricius, ut censet Catalogus Sanctorum, attonsus fuerit idque tonsura Britonum et Scotorum, an peculiaris illa tonsurandi ratio posterioribus temporibus aliunde — haud sciam an ex Gallia una cum vita monachica — et in Britanniam et in Hiberniam pervenerit, in medio relinquendum est.

Haec igitur de Columba, de cujus persona et aetate hac nostrae disputationis parte disserere supra nobis proposuimus. Sed priusquam ad sequentem progredientes partem cognoscendae ecclesiae Nordanhymbrorum et naturae et controversiae cum Romana ecclesia operam demus, paucis earum Hiberniae regionum, quae a dominio Hiiensium liberae erant, historiam absolvamus.

In australibus enim Hiberniae partibus paullo ante annum 630 Romani inito nescimus quomodo cum Hibernis commercio cum illis agere coeperunt, ut abjecto suo celebrandi festi paschalis more in unitatem ecclesiae redirent. Quod etsi initio Hiberni recusabant, tamen paucis annis post, anno 630, ut videtur, commoti ipsius Honorii papae epistula synodo episcoporum habita ad Campum album (Magh-Lene) omnes australis Hiberniae incolae pascha canonico ritu observare didicerunt et legatis Romam missis pace cum Romanis facta intellexerunt se nisi conjunctos cum episcopis Romanis unitatem ecclesiae servare non posse.[1]

Haec omnia Hiienses aegre tulerunt (Cumeani ep. p. 20: *a vobis impugnor*, p. 22: *onus est vobis quod dico*) sive omnino sive quod una cum aliis australis Hiberniae monasteriis et ipsum Dearmachense (vid. supra p. 54), cujus abbas Cumeanus videtur fuisse, ad Romanos transierat; neque ipsi neque septentrionalis Hiberniae episcopi epistula illa Johannis papae, de qua supra dictum est (p. 58) commoti sunt, ut societatem cum Romanis inirent. Itaque quae de Hiiensibus et de Hibernia septentrionali amplius dicenda sunt, in sequentibus melius quam hoc loco ab-

---

[1] Nituntur haec omnia et Cumeani epistula ad Segenium abbatem Hiiensem (623—652, H. and St. II, 1 p. 135), quae exstat in Usserii veterum epistolarum hibernicarum sylloge. Paris 1665. ep. 11 p. 17 sqq. et Bedae hist. 2, 19 § 143 sqq. et 3, 3 § 155. Et, quo tempore facta sint, cum episcoporum Romanorum nomina definiunt (625—640) tum incertiora quidem illa sed satis bona argumenta ex ipsis festi paschalis computationibus desumpta (Skene II, p. 161).

solventur. Nam cum eodem anno, quo Cumeanus Segenio renunciavit, Hiienses consecrato Nordanhymbris episcopo principatum suum ultra Pictorum fines in ipsam Britanniam promovissent, inde ab anno 634 potior pars ecclesiae Hiberno-Scotorum in septentrionali Britannia erat, in finibus Pictorum, Scotorum Albanensium, Nordanhymbrorum aliorumque Saxonum.

Sed unam antea proponere liceat quaestionem. Nonne, quaeso, cum tam facile et tam celeriter australis Hiberniae episcopi cum Romanis societatem inierint, absurdum est, cum Ebrardo putare et doctrina et moribus longe diversam fuisse a Romana ecclesiam Scotorum? An credibile est Cumeanum, si ita fuisset, de nulla alia re nisi de celebrandis festis paschalibus diebus Segenio scripsisse? Quin etiam ipse papa cum Scotis agens de nulla alia re nisi de controversia paschali et de Pelagiana haeresi utpote apud Scotos revisviscente verba fecit (Beda h. e. 2, 19 § 144 sq.) — Conspicuum illud alterum, etsi Ebrardo (p. 171) risum movit, quippe qui non cognoverit in libro Ardmachano singulis epistulis Paulinis a librariis praemissa esse argumenta ex Pelagii in epistulas Paulinas expositionibus desumpta (Betham II, p. 261 sqq.). Quae utrum Pelagio an Hieronymo ascripta sint in libro Ardmachano, nescio, nam neque Bethamius neque Skenius (II, p. 424) de hac re verba fecerunt. Sed cum constet Pelagii expositiones hodie inveniri inter Hieronymi opera, quae summis in honoribus apud Scotos habebantur, Scotos aperte cum Pelagio sensisse non credo. Tamen fictam fuisse illam papae insimulationem, quis contendere audeat? Sed cum alia hujus rei certa[1] mentio non occurrat, contra cum ipse Wilfridus (de quo infra) anno 680 *pro omni aquilonali parte Britanniae et Hiberniae insulis, quae ab Anglorum et Britonum necnon Scotorum et Pictorum gentibus colebantur veram et catholicam fidem* confessus sit (Stephan. Eddius vit. Wilfr. c. 50 Mab. Acta IV, 1 app. p. 710), levioris momenti non esse non potest illa accusatio. Praeterea: quis tulerit Gracchos de seditione querentes!

Omissa igitur hac insimulatione pro certo habendum est ecclesiam Scotorum Columbae aetate cum catholica de doctrina plane consensisse. Nam quae Ebrardus protulit de sanctorum et reliquiarum cultu utpote a Scotis repudiato et de virginitate in summis honoribus non habita, tam levia sunt, ut cum ex ipsis ejus, de qua agimus, aetatis testimoniis nullum argumentum Ebrardus protulerit, mihi pertaesum sit, plura de hac re disputare. Satis habeam asseverare me nullum clericum nedum

---

[1] Neque Usserius de Pelagianismo in Britannia reviviscente disserens (Gotteschalci et Praedestinatianae controversiae ab eo motae historia. Hanoviae. 1662. p. 1 sqq.) plura attulit certa testimonia.

monachum in matrimonio viventem invenissse[1], immo reperisse apud Adamnanum narratiunculam quandam, quae comprobet Scotorum clericos vixisse in „castitate" monachica (Adamn. vit. Col. 2, 55, p. 217: *et quia idem N. homo plebejus erat cum uxore et filiis, hoc etiam ei vir beatus benedictionis augmentum intulit dicens: erit semen tuum etc.*).

Sanctorum denique apud Scotos summis in honoribus habitorum multa occurunt exempla. Omittam argumenta ex reliquiis liturgicis desumpta, nam cum hae omnes saeculo septimo priores non sint (Warren, p. 155), non sine opera Romanorum eas compositas esse Ebrardo forsitan liceat contendere (cf. p. 121 et p. 515), sed, si libet, videas Cumeani epistulam (p. 21) de Sancto Gregorio papa dicentem et Adamnani plurimos locos (2, 74, p. 224; 2, 81, p. 226; 2, 82, p. 226). Quodsi secundum ex illis Adamnani locis legeris, quo narrat se ipsum cum sociis quondam invocasse St. Columbam his verbis: *Placetne tibi, Sancte...? Facile tibi est, ..., a domino impetrare, ut* .. certo melius testimonium non desiderabis (cf. Ebrard p. 118). His igitur absolutis et in posterum, quae de Columba Luxoviensi dicenda sunt, reservatis tandem, ut propositum est, quaeramus, quae ex

Nordanhymbrorum ecclesiae historia

de ecclesiae Scotorum natura et moribus inprimis de causis controversiae cum Romanis cognosci possint.

In Nordanhymbria enim, regno inter septem illa Saxonum regna omnium maximo, duas regiones, Berniciam et Deiram, continenti, Scoti ecclesiae fundamenta jecerunt, quanquam non primi Nordanhymbris evangelium praedicaverunt. Nam constat anno 627 Paulinum, Augustini Cantuarensis episcopi socium, inter comites Aedilbergae, Cantuariorum regis filiae, Aeduino regi Nordanhymbrorum nupturae, in Nordanhymbriam venisse ibique ipso rege et populi non parva multitudine ad fidem christianam conversis Eboracensis urbis primum exstitisse episcopum (Beda h. e. 2, 9—17). Sed quae tunc cum in Bernicia tum in Deira (cf. Bright p. 119 sq.) effloruit ecclesia mox tanta tempestate est invasa, ut eam suus amplius nesciret locus. Anno enim 633

[1] Verba non feci de Tirechano narrante (Betham II, app. p. XXIX): Patricium, postquam loco quodam ecclesiam consecrasset haec dixisse: *erunt episcopi boni hic et de semine illorum erunt benedicti in saecula in cathedra hac,* nam primum obscurus est totus ille locus — de spiritualibus enim filiis locutus esse videtur Patricius (cf. ibid. *filia sancta Patricii*) — deinde non suis verbis usus est Patricius (quod quidem Tirechanus narrat) sed verbis libri Gen. 12, 3, denique si episcoporum filii naturales essent intellegendi, idem de hac re dicendum esset, quod supra dixi de episcoporum Britonum matrimoniis.

Caedvalla, christianissimus scilicet ille Britonum rex (cf. Beda h. e. 2, 20, § 147) Aeduino regi bellum intulit et illo superato atque interfecto Nordanhymbrorum regiones ferro ignique adeo vastavit, ut Paulinus relicta sede Cantuariam reverteretur. Una vero cum Paulino et ipsa fides christiana discessit. Nam qui Aeduinum secuti sunt reges, Eanfridus, Ethilfridi decessoris Aeduini filius, in Bernicia, Osricus, ipsius Aeduini consobrinus, in Deira, abjecta fide, qua ille exul in Scotia hic a Paulino imbutus erat, *ad priscas ido(lo)latriae sordes* reverterunt (Beda h. e. 3, 1, § 150). Sed jam sequente anno ab eodem Caedvalla uterque peremptus est. Quo facinore Caedvalla nescius fidei christianae viam in Nordanhymbriam rursus aperuit. Nam Oswaldus, Eanfridi frater et ejus Osricique in tota Nordanhymbria successor, et ipse una cum fratre a Scotis educatus, tanto in exilio erga Christum amore erat incensus, ut, simulatque rex factus est, consilium caperet, ut auxilio eorum, qui ipsum erudierant, populum suum ad fidem reduceret.

Itaque factum est, ut Hiienses rogatu regis Aedanum episcopum in Nordanhymbriam mittentes (Beda h. e. 3, 3, § 155; 5, § 164) dominium suum (ut ita dicam cum Beda) in ipsius gentis Anglorum regiones propagarent, non dixi in Nordanhymbriam, nam non solae Berniciorum et Deiriorum regiones, in quibus Aedanus episcopalem suam sedem constituerat in peninsula Lindisfarnensi, Aedani et sociorum opera sacra christiana susceperunt, sed postea etiam Middilanglis et Merciis auctore rege Osviu, Oswaldi primum (anno 642) in Bernicia, deinde (651—670) interfecto Oswino (Beda h. e. 3, 14, § 188) in tota Nordanhymbria successore, ad fidem christianam transeuntibus a Finano, Aedani successore (651—661), episcopus consecratus est et missus Diuma quidam, natione Scotus (Beda h. e. 3, 21, § 210 sqq., cf. 3, 24, § 223), necnon eodem tempore etiam Orientales Saxones *fidem, quam olim* (anno 616) *expulso Melitto antistite*, Augustini Cantuarensis socio, *abjecerant, instantia regis Osviu receperunt* (h. e. 3, 22, § 213) et episcopum acceperunt nomine Cedd, natione Anglum, et ipsum a Finano consecratum.

Itaque exceptis Orientalibus Anglis, qui jam pridem (631) a Cantuariis fidem christianam et episcopum nomine Felicem, in Burgundia natum et consecratum, acceperant (h. e. 2, 15, § 135), tota ea Britanniae Anglo-Saxonicae pars, quae a Tamesi flumine in septentriones vergit, Hiiensibus erat subjecta ac quidem non circuitione quadam sed ita, ut arctissima necessitudo esset illis regionibus cum abbate Hiiensi, cujus auctoritatem archiepiscopalem quandam fuisse certe hoc loco fit manifestissimum. Nam et Aedanus (Beda h. e. 3, 3. § 157 et 164: *sicque illum*

ordinantes .... miserunt) et Finanus (ib. 3, 17 § 196 et 3, 25, § 225: *a Scottis ordinatus et missus*) et Colmanus, Finani successor (ib. 3, 25 § 227: *et ipse missus a Scottis*) ab Hiiensibus missi erant et „*ordinati*".[1] Quin etiam, quanquam potestas ordinandi Merciorum et Orientalium Saxonum episcopos i. e. Licidfeldensis et Lundinensis sedum praesules penes episcopos Lindisfarnenses erat, tamen certe tertius fortasse etiam secundus Licidfeldensis episcopus ab ipsis Hiiensibus consecratus est (Beda h. e. 3, 21, § 212). Et talis erat episcopis Lindisfnarensibus cum Hiiensibus consuetudo, ut non solum — quod mirum non est — Aedanus *pascha contra morem eorum, qui ipsum miserant, facere non posset* (Beda h. e. 3, 25, § 226) atque Colmanus postea *tonsuram* (coronae) *et paschae rationem propter timorem patriae suae contemneret* (Stephanus Eddius vit. Wilfridi c. 10 — Mab. IV, 1 [i. e. Mabillon, Acta SS. Ordinis Sti Benedicti saec. IV, pars 1] appendix ed. Paris. p. 682), sed ut etiam in levioribus appareret, unde Nordanhymbri fidem christianam accepissent, nam Finanus *ecclesiam episcopali sedi congruam more Scotorum non de lapide sed de robore secto fecit* (Beda h. e. 3, 25, § 225). Unde manifestum est ecclesiam Nordanhymbrorum conjunctam cum Merciorum et Orientalium Saxonum, quamdiu manebat inconcussa i. e. usque ad synodum Strenaeshalchensem ecclesiae Scoticae speciem praebuisse eamque ob rem idoneam esse, quae de Scotorum moribus nos edoceat.

Ac primum quidem expleantur, quae supra diximus de ordinibus ecclesiasticis, nam quales fuerint Scotorum episcopi, hoc loco optime cognosci potest. Omnes Scotorum episcopos, de quibus modo mentionem fecimus, monachos fuisse, postea videbimus, nunc de munere episcoporum disseramus. Episcopos munere et dignitate et gradu presbyteris superiore functos esse supra jam vidimus (p. 58), certis quibusdam ordinationis ritibus in numerum episcoporum eos receptos esse hoc demum loco fit manifestissimum. Neque de hac re unquam quaestio exstitit inter viros doctos atque cautos, sed, cum eos *qui ordinati sint a Scotorum vel Britonum episcopis, iterum a catholico episcopo manus impositione confirmari* jusserit Theodori archiepiscopi (de quo infra) Poenitentiale (II, 9, H. and St. III, p. 197), dubium est, num ratione ordinandi sibi propria usi sint Scoti.

Contendunt enim Haddanus (H. and St. I. p. 155) et alii apud Scotos eodem modo, quo apud Britones, episcopos per unum alterum consecratos esse. Sed non dubito, quin haec sententia

---

[1] Cf. Ebrard p. 173: *Aedan wurde nach Bedas Ausdruck nicht zum Bischof ordiniert, sondern „von der Insel Jowa zum Bischof destiniert" d. h. ernannt* — h. e. 3, 3, § 157. Atqui idem Beda scripsit locos supra commemoratos 3, 3, § 164 et 3, 25, § 225.

hoc loco pariter respuenda sit atque supra, ubi de Britonibus agebatur (cf. p. 25 sq.). Nam hoc quoque loco testimonia saeculo undecimo priora non exstant, nisi forte putamus, canones Hibernicos testimonio esse posse. Exstat enim in Hibernica illa (cf. supra p. 39) canonum collectione, quae in ipsa Nordanhymbria scripta esse mihi videtur[1], capitulum (lib. I, 5, Wasserschleben, Ir. Can. p. 5) „*de eo, quod non unus unum ordinet*". Atqui ex veteribus scriptoribus repetitum est (cf. Wasserschleben l. c.), itaque ex hac ipsa lege effici non potest, tunc temporis, cum conscripta est vel potius descripta, illum ipsum morem, quem prohibere studet in usu fuisse apud Scotos. Obstant enim gravissima argumenta. Omittam, quod Beda narrat (h. e. 3, 22, § 214). Finanum Lindisfarnensem consecrasse Ceddum *vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus episcopis* — nam Beda illud forsitan finxerit, sed provocabo ad Stephanum Eddium vit. Wilfr. XXIII, Mab. IV, 1 app. p. 689. Teste enim hoc loco Theodorus archiepiscopus anno 678 tres episcopos „*inordinate solus*" consecravit. Num, si Scotorum more Theodorus usus esset, Stephanus Eddius, Wilfridi amicissimus, omisisset, illud ipsum Theodoro vitio vertere? Ergo negandum esse videtur jam tunc sicut postea saeculi duodecimi temporibus (cf. supra p. 26) moris fuisse Scotorum ut episcopi ab uno consecrarentur. Sin aliter, hoc Scotorum proprium non esset. Nam non unus Theodorus contra canones solus tres illos episcopos ordinavit, sed ipse Gregorius papa Augustino (Beda h. e. 1, 27, § 64) et Bonifatius papa Justo, tertio Augustini successori (Beda h. e. 2, 8, § 109), concederunt, ut „*exigente opportunitate*" soli ordinarent. Attamen Scotorum episcopos canonice ordinatos non esse constat. Nam prodidit Beda anno 665 defunctis Deusdedit Cantuarensi et Damiano Roffensi nullum in tota Britannia fuisse episcopum canonice ordinatum excepto Wine, episcopo Occidentalium Saxonum, qui in Gallia erat consecratus (h. e. 3, 28, § 243). Qua in re etsi Beda erravit — oblitus est enim Bonifatii Domucensis episcopi (h. e. 3, 20, § 209, cf. Bright p. 212) —, tamen apparet eum neque Ceddum, Orientalium Saxonum episcopum, a Finano consecratum neque Jarumanum, Merciorum episcopum, natione Scotum, ut videtur (h. e. 3, 24, § 224), habuisse pro canonice ordinatis. Ritibus igitur diversam fuisse a Romanorum more ordinationem Scotorum suspicandum est. Fortasse Scoti iisdem vel similibus ritibus utebantur atque Britones (vid. supra p. 26 sq.), nam iisdem verbis Theodorus episcopos et a Scotis et a Bri-

[1] Nam puto neque in Hibernia scriptum esse id, quod saepius occurrit in his canonibus, „*Hibernenses*" [dicunt] vel „*synodus Hibernensis*" (cf. Wasserschleben, Ir. Kan. p. IX) neque Theodori archiepiscopi qui dicuntur libros jam tunc Hibernis cognitos fuisse.

tonibus ordinatos iterum ordinari jussit. An nulla alia re commotus est, quam quod et Britones et Scoti *in pascha vel tonsura catholici non erant* (l. c.)?

Recepti vero in numerum episcoporum et muneribus et dignitate episcopi Scotorum Romanis simillimi erant. Nonne si apud Scotos episcoporum munus idem fuisset, atque *„das eines Pastors an einer neugegründeten Gemeinde in der Heidenwelt"* (Ebrard, p. 169) multi in Nordanhymbria apparerent episcopi, quia postquam Aedanus in Nordhymbriam venit, *ecclesiae construebantur per loca et instituebantur monasteria* (Beda 3, 3, § 156)? Sed nulla erat in tota Nordanhymbria sedes episcopalis praeter Lindisfarnensem. Provinciis, non singulis ecclesiis praefuisse episcopos ex eo quoque fit manifestum, quod Finanus, Lindisfarnensis, Ceddum presbyterum, quem praedicaturum misit in Orientales Saxones, non statim episcopum consecravit, sed tum demum, cum in gente illa *„multam Domino ecclesiam congregaverat"* (Beda h. e. 3, 22, § 214). Itaque negari non potest revera sedes episcopales et parochias episcopales fuisse apud Scotos Britanniae. Attamen certis finibus inclusas atque descriptas fuisse singulas parochias contra Brightium (p. 134 not. 1) et Toddium (Loening II, p. 413 et 445) contendere non audeo, quia non ignoro, illud fieri non posse in populo, qui fidem Christianam vix suscepit.

Itaque etsi disceptari non potest, num jure — quae mea est opinio — prodiderit Beda praeter episcopos non solum presbyteros et diaconos sed etiam *cantores, lectores ceterosque gradus ecclesiasticos* tunc apud Nordanhymbros fuisse (vit. Cudberthi XVI § 25, Stevenson, opera hist. II, p. 79) — nam quod in canonibus Hibernicis (lib. I—VIII, Wasserschleben p. 3—31) expressis verbis de singulis septem gradibus disseritur in utramque partem accipi potest, et Tirechani testimonium et ipsum de subdiaconis et exorcistis loquens (annotat. Betham II, app. p. XXI), repudiare licet iis, qui forte putant Tirechani temporibus in Hibernia australi (vid. supra p. 71) Scotorum mores jam fuisse commutatos: tamen apud Scotos Britanniae statum hierarchicum Romanis similem fuisse liquet.

Similis vero fuit non par omnino, nam una ex parte videtur melior fuisse et magis excultus, ex altera pejor et minus excultus: illud quia in ecclesia Nordanhymbrorum abbas Hiiensis fungebatur munere tanquam archiepiscopali, quod tunc in Gallia paene deerat, hoc quia in singulis parochiis bona disciplina vix constituebatur cum principatus ab Hiiensibus ad archiepiscopum Cantuarensem transiit.

Ergo non ipso graduum ecclesiasticorum genere diversa erat a Romana Scotorum ecclesia, sed illud, sicut jam vidimus, proprium erat Scotorum, quod ordines hierarchici cum mona-

steriis arctissime conjuncti erant. Hoc idem hoc loco manifestissimum est. *Nam monachi erant maxime, qui cum Aedano ad praedicandum venerant. Monachus ipse episcopus, utpote de insula, quae vocatur Hii destinatus* (Beda h. e. 3, 3, § 157) *et monachicam cum suis omnibus vitam semper agere solebat* (vit. Cudb. XVI, § 25, op. II, p. 79). *Unde* ait Beda (vit. Cudb. l. c.) *ab illo omnes loci ipsius antistites sic episcopale exercuisse officium, ut regente monasterium abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores ceterique gradus ecclesiastici monachicam per omnia cum ipso episcopo regulam servent.* — At nescio, an in hac re Beda a veritate paullum aberraverit. Nam cum ipse ante Colmani discessum (cf. infra) abbatis Lindisfarnensis mentionem non faciat (h. e. 3, 26, § 237), suspicandum est non solum Aedanum, sed etiam Finanum et Colmanum ipsos abbatis officiis functos esse. Sed etsi facere non possumus, quin illud suspicemur, tamen in hac re conspicuum relinquitur, quod prior erat episcopalis sedes, posterius monasterium, quod Ebrardo prorsus repugnat. Eodem modo etiam Ceddus episcopus et ipse monachus, postquam episcopus Orientalium Saxonum factus est, monasterium sibi construxit ejusque *juxta ritus Lindisfarnensium instituti* simul cum episcopatu curam gessit usque ad mortem (Beda h. e. 3, 23, § 218). Denique eodem modo etiam Ceadda, Merciorum episcopus, *mansionem sibi fecit non longe ab ecclesia remotiorem, in qua secretius cum paucis, id est septem sive octo fratribus, quoties a labore et ministerio verbi vacabat, orare et legere solebat* (Beda h. e. 4, 3, § 260).

Haec omnia cum iis, quae supra diximus, optime congruunt. Itaque, postquam, quae de hac re constent, vidimus, tempus est, ut cum Romanorum moribus comparemus Scoticos. Comparavit jam Beda. Commemorat enim (vit. Cudb. l. c.) illam vivendi normam, quam in Lindisfarnensi monasterio et passim apud Scotos invenimus, eandem esse, quam beatus papa Gregorius ab Augustino Cantuarensi et sociis ejus observatam voluit. Nam et ipse Augustinus episcopus erat et abbas (Beda h. e. 1, 23, § 51, cf. 52). Neque unus Gregorius illam vivendi normam probavit, sed universa ecclesia catholica alterius Augustini, illo clarioris, exemplum sequens hanc instituendae clericorum vitae formam optimam esse ac perfectam nunquam non censuit, immo postea vitae canonicae clericos obligans publice est professa. Ergo quod potissimum Scotorum erat proprium, Romanorum moribus nequaquam erat contrarium. Quin etiam si in antiqua jam Scotorum ecclesia nonnulla monasteria eodem jure eligendi episcopos usa essent, quo postea (Braun, de Culdeis p. 10 et 19, Ebrard p. 4 not. 3), ne hoc quidem Romanis improbandum fuisset.

Testis est Beda. Qui cum putaret melius esse *tam enorme pondus ecclesiastici regiminis dividi in plures* episcopos, quam tunc erant, „*prospiciatur*, inquit (epist. ad Ecgbert. § 10, Stevens II, p. 316) *locus aliquis monasteriorum, ubi sedes episcopalis fiat. Et ne forte abbas vel monachi huic decreto contraire ac resistere tentaverint, detur illis licentia, ut de suis ipsis eligant eum, qui episcopus ordinetur, et adjacentium locorum, quotquot ad eandem dioccesim pertinent, una cum ipso monasterio curam gerat episcopalem, aut si forte in ipso monasterio, qui episcopus ordinari debeat, inveniri nequeat, in ipsorum tamen juxta statuta canonum pendeat examine, qui de sua dioecesi ordinetur antistes.*“ — Gravissima sunt haec verba. Nam et demonstrant etiam Bedae temporibus in Nordanhymbria monasteria animarum curam, pastoralem, ut ita dicam, non episcopalem, gessisse et confirmant vel maximam monasteriorum auctoritatem Romanis non displicuisse.

Displicuisset vero, si talis fuisset apud Scotos vita monachica, qualem fuisse Ebrardus affirmat, si tantum abfuisset, ut monachi in monasteriis monachicam agerent vitam, ut cum uxoribus viventes, nisi forte caelibes esse maluerunt, soli ei rei operam darent, ut populum docerent, evangelium praedicarent, si, ut paucis dicam, monasteria fuissent minime coenobia eorum, qui e mundo effugissent, sed collegia de propaganda fide („*Missionsstationen*“ Ebrard p. 169).

Cohaeret haec Ebrardi opinio cum ea sententia, quam de Scotorum theologia tulit. Hanc ipsam examinare et longum est et supervacaneum. Sed facere non possum, quin commemorem valde me esse miratum, quod idem Ebrardus, qui acerrimum purae evangelii doctrinae defensorem se praebuit in examinanda Beckii, magistri quondam mei, doctrina de justificatione (Sola! Wissenschaftliche Beleuchtung von Dr. J. T. Becks Rechtfertigungslehre. In Briefen. 1871), ... quod idem, inquam. longe alia mensura usus theologiam Scotorum evangelicam fere fuisse censuit. Tantum enim abest, ut in Scotorum de fide christiana doctrina reperiatur aliquid, quod alienum doctrinae totius medii aevi solis reformatorum nostrorum sententiis simile sit (cf. quae de notione doctrinae evangelicae disseruit Ritschelius, Geschichte des Pietismus I. 1880. p. 7—22), ut qui cognoverint, quae revera fuerit apud Scotos credendi ratio, nunquam sibi possint persuadere fuisse apud Scotos monachicae vitae genus, quale neque unquam neque usquam alibi fuit (cf. Plitt. Erlanger Zeitschrift für Protestantismus und Kirche. 1864. p. 283). Neque, ne legentibus molestiam afferam, in animo mihi est, per singulos versus refutare, quae de vita monachorum Ebrardus protulit,

sed cum infra de Columbae Luxoviensis monachis plura dicturus sim, hoc loco quam paucis rem absolvam.

Ac primum vituperandum est, quod Ebrardus ex ipsius Bedae verbis suam extorquere conatus est opinionem. Risum movet, si ex eo, quod Beda saepissime, quantae sint singulorum monasteriorum possessiones, indicat his fere verbis „*monasterium quinque vel decem familiarum*“, coegit, fuisse in monasteriis patres et matres familias eorumque liberos (p. 190 sqq.). Nonne luce clarius est, quid sibi velint ejusmodi verba, si unum hunc audieris locum (Beda h. e. 3, 24, § 222): *donatis insuper duodecim possessiunculis terrarum ... singulae vero possessionis decem erant familiarum* (cf. praeterea 3, 4, § 159; 4, 23, § 323; 4, 19, § 314).[1] At ipsum Bedam narrasse patrem quendam familias, Caedmon poëtam, *cum omnibus suis in monasterium esse susceptum* (h. e. 4, 24, § 331 sqq.) Ebrardus est testis (p. 192 sq.). Atqui levissimus. Nam tanta levitate usus est in explicandis Bedae verbis, ad quae saepissime provocat ad confirmandas varias res mirabiles (p. 86. 192 sq. 200. 201. 203. 204. 224), ut plura integra folia de hac re conscribere possim. Sed satis est commemorasse Caedmon, quantum Beda narrat, patrem familias non fuisse neque suos secum duxisse in monasterium sed secum portasse omnia sua (cf. Jonas vit. Eustasii 6 Mab. II, ann. 625, p. 118: *Agrestius ... ad Luxovium veniens se et omnia sua supradicto patri tradiderat*). Consimiliter abusus est Ebrardus alia Bedae narratiuncula (h. e. 4, 25, § 335 sqq.), quam — nescio cur — maluit repetere ex vita S. Aediltrydae, quam Thomas Eliensis saeculo duodecimo conscripsit (Mab. Act. II, ann. 679, p. 739 sqq.). Narrat enim Beda, monasterium quod „Coludi urbs“ nominabatur anno 679 flammis assumptum esse idque non sine justa causa. *Nam omnes prorsus* monasterii illius *et viri et feminae aut somno torpebant inerti aut ad peccata vigilabant. Nam et domunculae, quae ad orandum vel legendum factae erant, in commessationum, potationum, fabulationum et ceterarum illecebrarum cubilia conversae erant. Virgines quoque deo dicatae contempta reverentia suae professionis, quotiescunque vacabant, texendis subtilioribus indumentis operam dabant, quibus aut se ipsas ad vicem sponsarum in periculum sui status adornarent, aut externorum sibi virorum amicitiam compararent* (h. e. 4, 25, § 338). — Haec audiens quis Ebrardo (p. 212) consentiat „virgines“ illas revera fuisse uxores sine justa causa accusatas? Contra Thomae Eliensi

[1] Aliam vim vocabulum „familiae“ de monasteriis dictum apud ipsos Scotos habet (cf. supra p. 69), significat abbatem cum monachis suis vel cum ipsis omnibus, qui in aliis monasteriis abbati principalis illius monasterii oboediebant cf. „*expulsio familie Ie*“ (= Hii) .. annal. Tigernachi H. and St. II, 1, p. 114.

(vit. Ethyld. c. 35 l. c. p. 755) consentiendum est dicenti: *unde intelligitur viros et mulieres in eodem simul monasterio caelibem actitasse vitam.* Hanc enim sententiam pluribus Beda confirmat.

Nam primum dubitari non potest, quin praeter monasteria virorum, ut Lindisfarnense (Beda vit. Cudb. XVI, § 25, Stevenson II, p. 79), et virginum vel puellarum (cf. supra p. 70) ut Vetadun (Beda h. e. 5, 3, § 364) permulta tunc in Britannia fuerint duplicia monasteria i. e. monasteria, quae ab utriusque sexus monachis incolerentur; nomino Strenaeshalenense, quod ipse Beda *famulorum famularumque Dei monasterium* nominat (h. e. 4, 26, § 341), Coludi urbem (h. e. 4, 25, § 338), Hacanos (h. e. 4, 23, § 329), Beartaneu (h. e. 3, 11, § 182) Berecingum (h. e. 4, 7, § 275). Maximam partem monasteria Scotorum in Britannia duplicia fuisse videntur, certe virginum monasteria rarissime inveniuntur. Omnibus illis monasteriis duplicibus una abbatissa praeerat. Ergo in hoc priore Thomas non erravit.

Neque de caelibe vita, quam et viros et feminas egisse censuit, dubitare licet. Certe Beda non dubitavit, nam monachorum vitam opposuit vitae saeculari (h. e. 4, 23, § 323), monachas appellavit virgines deo dicatas, sponsas Christi (h. e. 4, 20, § 315), perpetuae virginitati consecratas, et cum sanctimonialem quandam *feminam* in monasterio Berecingo fuisse narrat, tali sermone utitur, ut eam tunc in matrimonio non vixisse appareat (h. e. 4, 9, § 279), necnon de fratribus sic loquitur, ut caelibes eos non fuisse putare non liceat (h. e. 3, 26, § 238; 4, 4, § 266). Itaque pro certo habendum est Heriburgam abbatissam, cujus *filia carnalis* in monasterio matris vivebat (h. e. 5, 3, § 364), prioribus aetatis suae temporibus fuisse nuptam; sin aliter res sese habuisset, Beda aut plura aut nihil dixisset, nam abbates vel abbatissas liberos procreare, nefandum videbatur Bedae. Non enim ignorabat ejusmodi abbates suis ipsius temporibus in Britannia esse (epist. ad Ecgbert. § 11 et 13, Stev. II, p. 217 sqq.). Atqui neque Scoti erant neque monachi sed saeculares homines; et expressis verbis Beda affirmat nefandum illum morem, quod abbates de laicis monasteriis non dicam fungebantur sed fruebantur, ex anno demum 705 in Nordanhymbria percrebuisse (l. c. § 13, p. 219). Ergo quid illud ad nostram rem? Nil igitur impedit, quominus in antiqua Scotorum ecclesia monachos *caelibem actitasse vitam* pro certo habeamus. Ea ipsa de causa in monasteriis illis duplicibus fratres a virginibus seclusi non solum vivebant, sed etiam mortui sepeliebantur (h. e. 4, 7, § 275).

In his omnibus nil nisi forte illud, quod abbatissae praeerant monasteriis duplicibus, Scotorum proprium est, neque hoc ipsum alibi omnino non occurrit. Nam in Nivigelensi monasterio

6

duplici anno 640 ab Itta, Pippini primi conjuge, constructo auctore Amando, quem Ebrardus utpote „Culdeorum inimicissimum“ despiciendum potius quam amandum esse censuit, simili modo penes abbatissas fuisse videtur summa auctoritas (Rettberg, Kirchengeschichte Deutschlands I, p. 56).

Neque in iis, quae praeterea de Nordanhymbriae monasteriis nota sunt, quicquam miri cernitur. Ne illud quidem affirmari potest (Ebrard p. 193), quod annus probationis vel brevioris cujusdam tirocinii tempus, cujus mentionem supra ubi de Hiiensibus agebatur (p. 69) desideravimus, in Nordanhymbriae monasteriis moris non fuerit, nam Bedam invenies (h. e. 4, 23, § 330) loquentem de *extremis monasterii* [Haconos] *locis, ubi nuper venientes ad conversationem feminae solebant probari, donec regulariter institutae in societatem congregationis susciperentur.*

Propria autem his Scotorum monasteriis haud dubie erat regula, secundum quam vita monachica instituta erat, nam non opus est commemorare Sti Benedicti regulam, quippe quam primus Wilfridus in Britanniam invexerit (vit. Wilfr. XLIV, Mab. IV, 1, p. 705), tunc temporis in Britannia notam non fuisse. Sed de hac re apud Bedam nil exstat et quae nos doceant Columbae Luxoviensis monasteria, infra videbimus. Itaque ad extremum mentione facta vitae eremitarum in Nordanhymbria quoque inventae (Beda vit. Cudb. 17, § 29, Stevens. II, p. 83, cf. 18, § 31 sq., p. 85) de vita monachica hoc loco satis sit disputatum.

Et satis paene de tota ecclesia, cum tota Scotorum ecclesia monasterii speciem praebeat. Quanquam enim censeo in Nordanhymbrorum ecclesia fuisse clericos, qui monachi non erant — paucissimos illos quidem — tamen certum hujus rei testimonium proferre non possum. Provocabo tamen ad Bedae illud „*nam monachi erant maxime, qui ad praedicandum venerant* (h. e. 3, 3, § 157) et ad canones Hibernicos, qui inter monachos et clericos discrimen nunquam non faciunt, — sed confiteor relictum esse dubitationis locum. Eo magis licet tacere de matrimoniis clericorum, quorum nullum inveni vestigium. Unum solum afferam argumentum, quod demonstret apud Scotos clericis — non addam superiorum graduum, nam nil habeo, quod hoc discrimen faciam — non licuisse vivere in matrimoniis. In canonibus enim Hibernicis lib. XI c. 2 sq. scripta sunt haec verba: *Augustinus ait: qui sub gradu cecidit post penitentiam contentus fiat baptizare, communionem dare infirmis et altario ministrare. Synodus Hiberniensis decrevit, ut in peregrinationem exierint et ibi ministrare sub manu abbatis. Humanius autem Hibernenses interpretantur causa paucitatis sacerdotum, ut post penitentiam consecrentur per manus inpositionem, et in silentio ministrent sub*

signo penitentiae usque ad mortem, nihil sua voluntate facientes (Wasserschleben, Ir. Can. p. 36 sq. — cf. Tirech. annot. Betham II, app. p. XXIX: *ut non peccaret sub gradu*).

Iidem canones praesto sunt ad demonstrandum sanctorum et reliquiarum cultum apud Scotos non neglectum (lib. XLIV, 8, p. 203). Et cui levius videtur esse hoc testimonium, legat — ut alios Bedae locos omittam — quae inveniuntur in epistula illa, quam Vitalianus papa paullo post synodum Strenaeshalchensem regi Osviu scripsit (h. e. 3, 29, § 248). Num episcopus Romanus regi *reliquias beatorum apostolorum Petri et Pauli et sanctorum martyrum Laurentii, Johannis et Pauli et Gregorii et Pancratii* transmisisset, nisi cognitum habuisset apud regem sanctos nunquam caruisse honoribus?

Nonne, ut omissis singulis in universum loquar de ratione, quae intercesserit inter ecclesias Scotorum et Romanorum, nonne sicut una haec epistula omnino id ipsum, quod ecclesia Nordanhymbrorum cum Romana tam facile in unum corpus coaluit, impedit, quominus longe diversas putemus ecclesias Scotorum et Romanorum? Sed paullo verbosius de hac re disputandum est.

Inter omnes constat Gregorium Magnum anno 597 Augustinum episcopum in Britanniam misisse, ut Anglorum genti verbum dei praedicaret. Quomodo hoc factum sit et quae ab Augustino et sociis gesta sint, singillatim enarrare nostrum non est. Satis sit commemorasse Cantuariorum et Orientalium Anglorum gentes auctoribus Romanis transiisse ad christianam fidem, sedesque episcopales esse constitutas in Cantuariis Cantuarensem (597) et Roffensem (604), in Orientalibus Anglis Dunwicensem (631). Itaque, cum ex Nordanhymbria, ut supra jam vidimus, Paulinus Augustini socius et ex Orientalium Saxonum regione Melittus, Lundinii constitutus (604) episcopus, a paganis pulsi essent, anno 664, quo synodus Strenaeshalchensis habita est, Cantuarensibus duae provinciae subditae erant, ipsa Cantuaria et Orientalium Anglorum regio, praeterea Occidentales Saxones anno 634 fidem susceperant praedicante Birino cum consilio Honorii papae in Britanniam profecto sed libero, ut videtur (cf. Bright, p. 149), a Cantuarensis archiepiscopi jurisdictione (Beda h. e. 3, 7, § 167 sqq.). Contra a Scotis fidem suscepisse vidimus tres provincias earumque duas maximas, Nordanhymbriam et Merciam cum Middilanglis, et Orientales Saxones. Septimum denique Australium Saxonum regnum a christiana doctrina omnino aliena manebat, donec anno 681 Wilfridus verbum dei eis praedicavit. Itaque tota paene Britannia, quoad ab Anglo-Saxonibus occupata erat, inter Scotos et Romanos divisa erat, sed ita, ut major pars esset Scotorum.

Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin saepius una ecclesia necessitudine attingeret alteram. Quod commercium quale fuerit, cognoscere maximi momenti est ad judicandum de ecclesiae Scotorum natura. Nam cum Britones, ut supra (p. 27) vidimus, *religionem Anglorum pro nihilo haberent neque in aliquo iis magis communicarent quam paganis* (Beda h. e. 2, 20, § 147), Scoti cum Romanis, Romani cum Scotis utebantur consuetudine, non arcta quidem illa, sed tali, quae luculentissime comprobet, nullas inimicitias initio fuisse inter Scotorum et Romanorum ecclesias. Nam, ut alia omittam, Birinus ille, *qui cum consilio Honorii papae in Britanniam venerat*, in praedicando verbo Dei adjutoribus usus est Cynigilso, rege Occidentalium Saxonum, quem ipse baptizaverat, et — Oswaldo, Nordanhymbrorum rege et summo suis temporibus omnium Anglo-Saxonum domino, Aedani amico, a Scotis baptizato (Beda h. e. 3, 7, § 167 sq.). Secunda testis adest Aediltryda, filia Annae, regis Orientalium Anglorum, qui a Cantuariis fidem susceperant (Beda h. e. 3, 18, § 199). Nupsit enim anno 660 Egfrido, Oswini Nordanhymbrorum regis filio, et duodecim annis post — illud quidem post synodum Strenaeshalchensem — vitam monachicam est amplexa in vetere Scotorum monasterio, Coludi urbe (Beda h. e. 4, 19, § 309 sq.), denique uno transacto anno ipsa novum construxit monasterium, Elge, in provincia Orientalium Anglorum, quod Scotorum monasteriis adeo simile fuisse videtur, ut Ebrardus (p. 204) temporis calculos subducere omittens inter monasteria „Culdeorum" videatur numerasse illud monasterium. — Tertiam testem producam Hildam abbatissam Strenaeshalchensem. Haec enim *ad praedicationem Paulini, primi Nordanhymbrorum episcopi, fidem et sacramenta Christi susceperat* et postea integrum annum vivebat in monasterio in Orientalibus Anglis constructo, quin etiam desiderabat in Galliam pervenire: sed revocata in patriam ab Aedano episcopo abbatissa Strenaeshalchensis facta est et in synodo in ipsius monasterio habita a Scotorum partibus stetit (Beda h. e. 4, 23, § 323 sqq.; 3, 25, § 228). Quartam denique nomino Eanfledam, Aeduini regis filiam, a Paulino baptizatam (h. e. 2, 9, § 114), quae postea regi Oswino nupsit (h. e. 3, 15, § 191). — Sed ne plura hujusmodi testimonia proferens molestiam afferam legentibus, extremum sit commemorare, quod ipsos utriusque ecclesiae clericos saepissime invenimus in una provincia viventes; nomino Jacobum Paulini episcopi diaconum, qui Paulino expulso in Nordanhymbria relictus (Beda h. e. 2, 20, § 149) ibi per totum tempus, quo Scotorum ecclesia florebat, superstes manebat usque ad synodum Strenaeshalchensem (h. e. 3, 25, § 226 et 228), deinde Romanum presbyterum, qui cum Eanfleda regina in Nordanhymbriam ve-

nerat, denique Tudam, qui *tenente adhuc pontificatum Colmano* in Nordanhymbriam venerat et summis apud Nordanhymbros honoribus habebatur, quanquam *apud Scotos austrinos in Hibernia eruditus juxta morem illius provinciae tonsuram coronae habebat et catholicam temporis paschalis regulam observabat* (Beda h. e. 3, 26, § 237).

Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin *quaestio frequens et magna de observatione paschae oriretur* inter ipsos Scotos et eos, *qui de Cantia vel de Gallia advenerant* (Beda h. e. 3, 25, § 226). *Sed haec dissonantia paschalis observantiae vivente Aedano patienter ab omnibus tolerabatur* (h. e. 3, 25, § 226), Finanus autem, Aedani successor (651—661), quippe qui homo esset ferocioris animi, apertum observantiae Romanae adversarium se praebuit, et cum defuncto Finano Colmanus in episcopatum successisset, etiam gravior facta est controversia.

Quid tunc? Intermissane est consuetudo cum Romanis? Suntne ortae inimicitiae sicut inter Britones et Romanos? Immo habita est synodus in monasterio Strenaeshalchensi auctore ipso rege Osviuo — et composita est controversia. Nonne haec ipsa res luculentissime comprobat nisi levioribus diversas non fuisse ecclesias Scotorum et Romanorum? Adeo levioris momenti fuerunt *aliae* illae *ecclesiasticae vitae disciplinae*, de quibus praeter observationem paschalem controversia orta erat (h. e. 3, 25, § 227), ut Beda solum id memoriae proderet, quod de observantia paschali actum est in synodo. Neque tamen omnino ignoramus, quae fuerint aliae illae controversiae causae. Nam etiam de tonsura non minimam quaestionem fuisse Beda ipse est testis (h. e. 3, 26, § 236). Praeterea quae fuerint causae, ignoramus. Suspicandum autem est de ritibus ecclesiasticis, de consecratione sacerdotum (vid. supra p. 76), de ratione celebrandae eucharistiae (vid. infra apud Col. Lux.) et de aliis ejusmodi esse disputatum, de quibus sciscitari nostra non refert, quia ipse synodi eventus demonstrat leviora fuisse illa omnia.

Colmanus quidem pacem et concordiam cum Romanis respuit et *videns spretam suam doctrinam sectamque esse despectam assumptis his*, iisque paucis, *qui eum sequi voluerunt, in Scotiam regressus est* (Beda h. e. 3, 26, § 236), sed ipse rex et, qui a Colmano steterant in synodo, Cedd episcopus et Hilda abbatissa Scotorum vestigia reliquerunt (h. e. 3, 26, § 236) et ubique in Britannia omnes Angli brevi tempore ad Romanorum amicitiam se contulerunt et ipsi Scoti, qui inter Anglos morabantur, *aut manus dederunt Romanis aut suam redierunt ad patriam* (h. e, 3, 28, § 244). Quo factum est, ut quatuor annis post synodum Strenaeshalchensem Theodorus, archiepiscopus Cantuarensis, Roma missus (668) tantam brevi tempore in omnibus

Anglorum provinciis consequeretur auctoritatem, ut habitis synodis, divisis parochiis et constitutis pluribus episcopalibus sedibus ita ordinaret ecclesiae statum, ut mox in unum corpus redacta esse videretur. Et tantum aberat, ut, quae sic facta erat, concordia amicitiae lentitudine et frigore turbatae speciem praeberet, ut novi illi Romanorum amici crebri ingressi viam ad id tempus *inattritam genti Anglorum* (Steph. Eddius vit. Wilfr. III, Mab. IV, 1. p. 677) ipsam Romam saepius adirent. Ipse Osviu rex nulla re nisi morte impeditus est, quominus Romam proficisceretur (Beda h. e. 4, 5, § 267), Caedvalla autem, Orientalium Saxonum rex (h. e. 5, 7, § 372) anno 688, Coinredus, Merciorum rex, et Offa, filius Sigheri regis Orientalium Saxonum (h. e. 5, 19, § 412), anno 709, Ini, Occidentalium Saxonum rex (h. e. 5, 2, § 373) anno 725 Romam pervenerunt.

Acerrima igitur controversia inter Britones et Anglos, quippe qui odio gentili essent separati, levissima et brevi composita ea, quae de levioribus rebus inter Anglos et Scotos orta erat controversia.

At dicat fortasse quispiam repugnare huic nostrae sententiae Wilfridi Eboracensis historiam, utpote qua demonstretur etiam inter Scotos et Anglos vehementissimam et acerrimam fuisse controversiam. Ipse Varinus (mém. 1, p. 212 sqq.) multas illas inimicitias, quas Wilfridus, *qui primus inter episcopos, qui de Anglorum gente essent, catholicum vivendi morem ecclesiis Anglorum tradere didicit* (Beda h. e. 4, 2, § 257), paullo post synodum anni 664 suscepit, profectas esse censuit a Scotorum in Romanos odio. Qua de causa facere non possum, quin pauca de illa re disseram.

Wilfridus igitur, natione Anglus de gente Nordanhymbrorum, in monasteriis patriae suae eruditus erat, sed in Cantia, in Gallia et ipsa Roma, quam peregrinus adierat, de Romanorum moribus edoctus Scotorum moribus meliores esse illos adeo sibi persuaserat, ut reversus in patriam inter primos cum ubique tum in synodo anni 664 Romanos admiratione celebraret (Steph. Edd. vit. Wilfr. I—X; Beda h. e. 3, 227, cf. Bright, p. 187 sqq.). Eam ipsam ob causam habita synodo electus est, qui episcopus Eboracensis fieret. Sed cum in Gallia, quam consecrationis causa petierat, diutius moraretur, rex Osviu *consentiens iis, qui quarta-decimanam partem contra sedis apostolicae regulam sibi eligerunt* (Edd. vit. Wilfr. XIV, p. 685) anno 666 Ceaddam, Ceddi supradicti fratrem, in Cantiam misit consecrandum in locum absentis Wilfridi (Beda h. e. 3, 28, § 243, cf. Bright 211 sq.). Negari igitur non potest Wilfridum loco suo motum esse non sine opera eorum, qui Romanorum minus studiosi erant, quam ipse. Tamen haec omnia cum controversia paschali

etiam minus cohaerebant, quam ipse Eddius censuit. Nam cum Ceadda consecrandus in Cantiam missus sit, apparet neque Osviuo regi neque iis, quorum consilio utebatur, in animo fuisse, ut rescinderent, quae in synodo constituta erant. Neque cum Wilfridus tamdiu in Gallia moratus sit, mirandum est, quod alium eligerunt. Attamen non nego verisimile esse Wilfridum non omnibus Nordanhymbris gratiosum fuisse. An credibile est eum, qui certo nimis flagrante cupiditate Romanis cuperet, qui ipse gloriaretur in eo, quod *primus post obitum primorum procerum a Scto. Gregorio directorum curavisset, ut Scoticae virulenta plantationis germina eradicaret, . . et vitam monachorum secundum regulam Scti patris Benedicti, quam nullus prior ibi invexisset, constitueret* (Steph. Edd. XLIV, p. 705) — credibile est, inquam, eum hac ipsa asperitate benevolentiam sibi adjunxisse eorum, qui etsi libenter cum Romanis amicitiam inierant, gratissimam tamen Scotorum, quibus magistris usi erant, memoriam merito retinerent?

Nihilosecius Wilfridus anno 669, postquam Theodorus archiepiscopus totam Britanniam recognoscendam circumiens Ceaddam in sedem Licidfeldensem transtulit, Eboracensis sedis praesul factus est (cf. Bright, p. 226 sqq.) sed anno 678 iterum expulsus est et dioecesis ejus divisa in quatuor partes (Hexham-Lindisfarn, Eboracum, Sidnaceaster), quibus tres episcopi iique — quid mirum? — quondam eruditi in monasteriis a Scotis in Nordanhymbria constructis praepositi sunt. Wilfridus autem etsi adjutus est a papa, ad quem appellans confugerat, tamen impetrare non potuit, ut sedem recuperaret. Denique anno 686 auxilio Theodori, quocum in gratiam redierat, Eboracensis illius dioeceseos partitione minutae episcopus factus est, sed anno 691 tertium expulsus anno demum 705 auxilio papae iterum se interponentis restitutus est in sedem suam eique usque ad mortem (709) praeerat.[1]

Hae sunt Wilfridi turbae. Quaenam erant causae? Revixitne controversia paschalis in Wilfridi historia? ut hac de causa Hilda abbatissa, quae in synodo a Scotis steterat, conspiceretur inter eos, qui Romae Wilfridum accusaverunt. Vehementer errarent, qui hoc putarent. Nam una cum Hilda primum

[1] Ebrardus si Stephani Eddii vitam legisset, neque affirmasset Wilfridum anno 696 mortuum esse neque alia multa protulisset (p. 61), quae historiae prorsus repugnant. Sed dubito annon legerit, nam unam solam inveni Eddii mentionem (p. 377) eamque talem, quae Ebrardo honori non sit. Frustra enim Eddio fidem abrogare conatus est affirmans Ebroinum majorem domus mortuum esse „paullo post 673“. Quod unde hauserit nescio, nam Ebroinum anno 681 mortem obiisse constat cf. Bonnell, Anfänge des karolingischen Hauses p. 123 sq.

Theodorus archiepiscopus tum Berchtwaldus, ejus successor, Wilfridum accusaverunt (Edd. vit. Wilfr. XLIX, p. 708; LI, p. 711). Neque, etsi Stephanus Eddius iratus commemorat et Egfridum regem et postea Alfridum sedis apostolicae judicia contempsisse (vit. Wilfr. XXXII, p. 696 et LV, p. 714), in occulto latet, non contemptione sedis apostolicae sed odio Wilfridi reges esse commotos. Hujus odii quae fuerint causae, neque Beda neque Stephanus Eddius expressis verbis narraverunt, tamen dubium non est, quin discordia illa inter Theodorum et Berchtwaldum archiepiscopos et Wilfridum inde orta sit, quod Theodorus Wilfridi parochiam nimia magnitudine insignem in quatuor partes diviserat (cf. Edd. vit. Wilfr. XXX, p. 694), sicut Merciorum quoque provinciam, ut ecclesiae statum ordinaret, in plures dioeceses diviserat, et quod Wilfridus et Theodori et Berchtwaldi et ipsius synodi in Britannia de hac re habitae judicia contempserat (Edd. vit. Wilfr. L., p. 709). Neque quae fuerit Egfridi regis in Wilfridum odii causa, suspicari nequimus. Nam luce clarius est Aediltrydam reginam, quam Beda in utroque matrimonio — bis enim nupserat, priori viro principi cuidam Tondbercto, alteri Egfrido — virginem mansisse prodidit (h. e. 4, 19, § 309), Egfrido revera copulari non repudiasse, si Wilfridus, cujus consilio utebatur, pravo illi virginitatis amori eodem modo obluctatus esset atque Columba Hiiensis, cum de simili causa judicaret (Adamn. vit. Col. 2, 75, p. 224). Haec enim sunt Bedae verba (h. e. 4, 19, § 309): *perpetua mansit virginitatis integritate gloriosa, sicut mihimet ipsi sciscitanti, cum hoc an ita esset quibusdam venisset in dubium, beatae memoriae Wilfridus episcopus referebat dicens se testem integritatis ejus esse certissimum, adeo ut Egfridus promiserit, se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si reginae posset persuadere ejus uti connubio, quia sciebat, illam nullum virorum plus illo diligere.* Accedebant aliae causae, quae reges contra Wilfridum excitarent, sed cum longum sit eas enumerare, liceat mihi lectores delegare ad Brightii librum, qui optime de hac tota re disseruit (p. 280 sqq., 367 sqq. et alibi). Unum hoc addam, Eddium nulla re fuisse impeditum, quominus, si Wilfridi turbae conjunctae fuissent cum vetere illa controversia paschali, Wilfridum introduceret martyrizantem pro Romanorum moribus, neque ulla re fuisse coactum, ut Ceaddam, cui primo Wilfridus cessit, *servum dei religiosissimum et admirabilem doctorem* nominaret (XIV, p. 685); — certo illud non omisisset hoc non fecisset, si Ceadda et qui cum eo erant, Romanis infesti fuissent. Itaque Wilfridi historia minime obstat, quominus dicamus brevi tempore et sine pugnis Nordanhymbrorum ecclesiam cum Romana in unum corpus coaluisse.

Ipse Alfridus rex, Wilfridi inimicus, nescimus quo anno (Skene II, p. 171: 688; alii 703), Adamnano abbati Hiiensi persuasit, ut abjecto suo celebrandi festi paschalis more cum Romanis societatem iniret (Beda h. e. 5, 15, § 402).

Monente vero Adamnano plurima pars Scotorum in Hibernia septentrionali (de australibus vid. supra p. 71) ecclesiasticum paschalis observantiae tempus suscepit (Beda h. e. 5, 15, § 402), deinde anno 710 consecuti sunt Picti (h. e. 5, 21, § 427), denique anno 716 (cf. H. and St. II, 1, p. 115 not. a) maxima pars monachorum Hiiensium, quorum nulli nisi perpauci schismate orto in ipso monasterio (Skene II, p. 175) jam antea Adamnanum abbatem secuti erant (Beda h. e. 5, 22, § 445).

Itaque quinquaginta annis post synodum Strenaeshalchensem tota Britannia et Albania et Hibernia exceptis Britonum plurimis (vid. supra p. 28) cum Romanis in unius ecclesiae catholicae corpus quodammodo coaluerunt, — qui controversiae eventus solus jam testis est, ecclesias Romanorum et Scotorum nisi observantia festi paschalis et tonsura et aliis levioribus diversas non fuisse.

Neque ullius ad nostram rem momenti est, quod nonnulli monachorum Hiiensium etiam tunc concordiae ita repugnaverunt, ut anno 718 *familia Ie* i. e. monachi, quibus cum Hiiensibus arctissima erat consuetudo, quia pacem respuebant *trans dorsum Britanniae* i. e. ex regno suo expellerentur a Nectano, rege Pictorum, et ut ad accipiendam tonsuram coronae nonnulli Hiiensium — siquidem fides habenda est posterioribus scriptoribus (annal. Tigern. H. and St. II, 1, p. 114, cf. Skene II, p. 278 sq.) — videantur esse vi coacti. Mirum enim non est, quod Hiienses Romanorum studiosi non erant, nam ubi augebatur Romanorum auctoritas, ibidem labefactata atque fracta est Hiiensium. Tamen in nonnullis Hiberniae monasteriis etiam postea per annos fere 150 principatum quendam tenebant, sed non talem, qualem antea (H. and St. II, 1, p. 116—118); Skene II, p. 278 sqq.), et vix opus est commemorare, quod inter omnes constat, omnino Romanorum in Hibernia et Albania principatum usque ad saeculi duodecimi tempora vi atque efficacia persaepe caruisse.

Sed cum meum esse non putaverim ultra annum circiter 731 historiam prosequi, pergamus ad ea, quae restant. Itaque, ut expleantur et confirmentur, quae supra disputavimus, sicut propositum est,

de Scotis Hiberniae in continentis terris peregrinantibus, de Columba Luxoviensi et de ejus discipulis

denique nobis disserendum est. Nam cum peregrinantes e patriae suae in extremis orbis terrarum finibus positae umbraculis in

conspectum aliorum hominum processerint, recte sperare possumus fore, ut in illorum vita Scotorum mores manifestissimi sub aspectum nobis subjiciantur. Attamen quia ipsi Scoti peregrinantes adeo peregrini erant in hoc mundo, ut, quamvis peritissimi essent scribendi, tamen voluntatem non haberent litteris consignandi, quae ipsi experti essent, quae docerent, quae laudarent, quae vituperarent, — illa spes nos destitueret, nisi fuisset Columba[1]) Luxoviensis. Hic, omnium Scotorum, qui in continentem venerunt, haud dubie clarissimus, unus est, de quo multa memoriae prodita sint, primus, de quo omnino certi aliquid dici possit. Nam de vita Fridolini, quem non sine aliquo jure primum in Francia Scotum Ebrardus nominavit (p. 285), nil certo scimus, nedum de moribus (cf. Rettberg, II, p. 29 sqq.). Optimo enim jure Rettbergius, cui paene omnes hodie assentiuntur (cf. Wattenbach, Geschichtsquellen I, p. 35) vetuit, ne amplius historici more majorum e sanctorum vitis ipsorum aetate longe inferioribus, quae ab iis gesta essent, conarentur enucleare. Sed alia est Ebrardi sententia. Scriptori cuidam multa fabulosa enarranti non omnino fidem abrogandam esse censet, quaerendum esse potius, quae vera et certa referat, quae falsa (p. 299). — Honesta haec oratio, nec tamen probari potest. Nam qui intellexerint certam notitiam praeteritorum temporum suis finibus, exiguis sane, contineri, ii, cum ea sit fabularis historiae natura, ut verum a falso secerni non possit, facile sibi persuadebunt eos scriptores, qui ex sola fama hauserint, dignos non esse, quibus in scribenda historia utamur. Nam cum luce clarius sit non omnia vera esse, quae vera esse possunt, si ratione illa, quam Ebrardus exoptat, uterentur historici, fieri non posset, quin — ut sciurus in frangendis nucibus gustatu, qui sit nucleus, dijudicat — ita historici alius alias sibi eligeret, prout cuique placuisset, veri et falsi notas.

Hoc ipsum iis, quae Ebrardus de Fridolino disseruit, ut exemplis comprobatur. Ex quibus unum est, quod Ebrardus, postquam enarravit Fridolinum teste Balthero (vit. Frid. 12, Act. SS. Boll. Mart. 6, p. 435) praedicasse „*quomodo filius dei ... mundi voraginem intraret, scilicet propter nostra peccata, seu quid pro nobis pateretur*“ hanc Baltheri narrationem veritate niti his verbis sibi videtur comprobasse: *Diese energische Hinweisung auf Christi sühnenden Kreuzestod, diese soteriologische Fassung der christlichen Lehre als der Heilslehre, ist so sichtlich culdeisch, dass hier das Zugrundeliegen einer sehr alten Quelle nicht verkannt werden kann* (p. 294). Alia plura hujusmodi proferre

---

[1] *Columbanus ... qui et Columba* — Jon. vit. Col. 6, Mab. II, ann. 615, p. 7; ipse in epistulis Columbam non Colambanum se appellavit.

possum sed longum est et supervacaneum, nam facile sibi ipse quisque persuadebit Ebrardum Balthero majorem fidem non attulisse.

Fridolino autem omisso primi Scotorum, quantum nos scimus, in continentem venerunt Columba et socii ejus.

Columba igitur natione Scotus, natus in ea Hiberniae parte, quam Lagenorum terram incolae nominabant (i. e. Leinster cf. Jonae, abbatis Bobiensis, de quo vid. Wattenbach, Geschichtsquellen I, p. 99, vit. Col. c. 6 et 9. Mab. II ann. 615, p. 7 et 8) eruditus in clarissimo monasterio Benchorensi in Ultonia (cf. p. 55) non ita multo ante annum 590 natale solum reliquit.[1] Voti sui fuisse *gentes visitare et evangelium eis a se suisque praedicari* ipse affirmavit (epist. 3 ad discip. Bibl. max. patr. XII, p. 27 D; Flemingi Coll. p. 132 [2]), sed aut voti compos factus non est aut, quam vim habeant illa verba, cognoscitur et ex eventu — monasteriis conditis, et ex iis, quae omnino constant de Scotorum peregrinationibus, quarum Scotos ipsius peregrinandi causa studiosos fuisse scimus (cf. supra p. 68 sq. et infra in fine). Peregrinans igitur pro Christo amore coelestis patriae commotus cum in Galliam venisset, a Childeberto rege, hujus nominis secundo (575—596), honorifice susceptus potestatem monasteriorum condendorum a rege flagitasse videtur (Jon. vit. Col. 12, Mab. II ann. 615, p. 10) et potestate data deserta montis Vosagi loca petiit. Ibi primum constituit monasterium Anagratense et postea aucto monachorum numero Luxoviense et Fontanense; ipse, abbas Luxoviensis monasterii, quippe quod aliorum principatum teneret (cf. supra p. 55), modo hic modo illic versabatur (Hertel p. 410) — donec anno 610 Theodoricus rex

---

[1] Quo anno Columba in Galliam venerit, discrepat inter viros doctos cf. Flemingi Coll. (vide annotationem sequentem) p. 317 sqq.; Act. SS. Boll. Oct. 16 (tom. VII, 2) p. 866 sqq.; Ebrard p. 16 not. 16; eundem in *Zeitschrift für d. histor. Theol.* 1875, p. 500 sqq.; Greith p. 266—69; Hertel in *Zeitschrift für d. hist. Theol.* 1875, p. 403 sqq. et in *Zeitschrift für Kirchengesch.* III (1879), p. 145 sqq.; Loening II, p. 415 not. 1. Omnes excepto Ebrardo, qui Columbam anno demum 594 in Franciam venisse opinatur, consentiunt monasterium Luxoviense anno 590 vel 591 conditum esse.

[2] Columbae opera primus edidit Patricius Flemingus, Hibernus (Collectanea sacra. Lovanii. 1667). Ea, quae in Bibliotheca maxima patr. XII (Lugdun. 1707) exstat operum Columbae editio nil est nisi Flemingi editio repetita et quidem tanta levitate repetita, ut e. g., cum Flemingi observationes praeviae in regulas Columbae denuo typis exscriberentur (p. 2 sq.), bis transscriberetur Flemingi illud „*ut infra plenius ostenditur*“ vel „*qua de re infra latius*“ quamquam omissis Flemingi annotationibus neque hoc neque illud infra invenitur. Tamen quia, quo loco singula verba reperiantur, accuratius describi potest si editione Bibl. max. utimur, Flemingi paginas non amplius addam.

(596—613), qui Childeberto patri in Burgundia successerat, Columbae propter suas — ipsius Theodorici — res jam dudum inimicus eum comprehendi jussit et per Ligerim Nannetensem in urbem transportatum in patriam remittendum curavit. Sed Columba data fugiendi facultate ipsa Nannetensi urbe elapsus ad Theodebertum II, Austrasiae regem, fratrem Theodorici, pervenit et ab eo potestatem accepit habitandi et praedicandi Brigantiae, in urbe Helvetiae. Inde tribus post annis insidiis Theodorici cedens abiit in Italiam ibique Bobiensis monasterii ab ipso conditi primus abbas anno 615, ut videtur, vita decessit.

Haec de vita Columbae. De moribus ejus quid dicendum sit, magis nostra interest. — Qui essent Scotorum mores proprii in Columba et in sociis ejus brevi apparuit, nam *Scoticarum tratitionum tenacissimus consectator* non sine aliquo jure Columba appellatus est in codice quodam vetusto Sangallensi (Greith p. 295). Sed quando controversia de Scotorum moribus in Gallia exorta sit, accuratius definiri non potest. Primum controversiae testimonium occurrit nobis prima [et una, quae ad nostram aetatem permansit] Columbae epistula ad Gregorium Magnum missa, sed quo tempore illa conscripta sit, nescimus, quamvis verisimile sit, eam posterioribus potius Gregorii annis exaratam esse, quam prioribus.[1] Publice deinde duodecim annis post Columbae *„in eremum"* adventum (ep. 2, Bibl. max. XII, p. 25 G) — anno 602 vel 603, ut videtur, — in synodo quadam[2] actum est de controversia. Ad quam synodum Columba cum ipse venire nollet, *ne forte contenderet praesens contra apostoli dictum dicentis: noli verbis contendere* (ep. 2, p. 25 H), scripsit ad patres synodi epistolam, quae exstat secunda (Bibl. max. XII, p. 24 sqq.).

Has duas epistolas, illam ad Gregorium et hanc ad patres synodi missam, cum conscriberet, Columbae nondum persuaderi poterat Gallorum celebrandi festi paschalis morem pravum non

---

[1] Greithius (p. 266) epistulae aetatem indicari putat commemorato a Columba Candido presbytero a Gregorio in Galliam misso, sed et Candidus post annum circiter 595 (cf. Greg. ad. Cand.; op. ed. Bened. II, p. 796) complures annos in Gallia versabatur (cf. ep. Greg. ad. Cand.; op. II, p. 1171) et, quot mensibus vel annis post illius adventum epistula Columbae scripta sit, in occulto latet. Sed Laurentius Cantuarensis, nisi mentitus est (Beda h. e. 2, 4, § 98), de Columba non audivit nisi postquam Britones cognovit, ergo post annum 597 vel potius 601; quod, cum frequentissimum commercium tunc fuerit inter Britanniam et Galliam et Romam, et cum ipsi Candido cum Augustino et Laurentio consuetudo fuerit, videtur indicare, controversiam illam vix ante exeuntis saeculi tempus esse ortam.

[2] Hanc synodum intellegendam esse synodum Cabillonensem [illegible] ectura sagacissima opinatus est Hertelius — Zeitschrift [illegible] . III, p. 148 sqq.

esse, immo putabat, suum morem esse catholicum neque dubitabat, quin Romanorum mos cum suo congrueret. Quam opinionem postquam falsam cognovit, tertia, quae exstat, epistola ad Gregorii successorem, quiquis fuit [Bonifatius IV? Fleming, p. 111, not. a), missa hoc unum a papa petivit, ut sibi suisque liceret amplius observare traditionem majorum (ep. 1 Bibl. max. XII, p. 24 F). Et observata est anno etiam 610, nam Columba in epistula illa, quam ex Nannetensi urbe ad discipulos suos misit, hortatus est suos, ne alienarentur a sua traditione, quam etiam tunc meliorem judicabat (ep. 3. Bibl. max. XII, p. 27 B). Tamen in Italia Columba videtur se conformasse ad morem universae ecclesiae, nam in ultima, quam habemus, epistula, ex ipsa Italia ad Bonifatium IV papam missa (ep. 4. Bibl. max. p. 28 sqq.) de paschali controversia non jam fit mentio. Eodem tempore in Gallia discipulos Columbae Scotorum celebrandi morem deposuisse suspicandum est. Tamen nonnulla relinquebantur Scotorum propria, quae Gallis offensioni esse possent. Quo factum est, ut anno etiam 624 (Mab. II, vit. Eustas. 10. ann. 625, p. 119) Agrestius, perfidus et infidelis quidam Luxoviensis monasterii monachus, Eustasium abbatem Luxoviensem, cui inimicus erat, coram synodo, Matisconensi in urbe congregata, episcopis nonnullis adjutus dissensionis ab ecclesia catholica accusare posset. Qua in synodo de festis diebus paschalibus celebrandis non jam agebatur, et ceteris, quae protulit, Agrestius minime effecit, ut discordiam concitaret. Deinde ex eo tempore Galli non jam meminerunt Columbam et socios ejus fuisse peregrinos et moribus sibi ipsis alienos: nam quae propria fuerant Scotorum partim ab ipsis deposita erant partim recepta a Gallis aliena esse desierant.

Sed quaenam erant illa Scotorum propria? Haec denuo hoc loco exsistit quaestio eique solvendae denuo operam navantes ea, quae supra jam diximus, cum confirmabimus tum explebimus.

Praecipua controversionis causa etiam hoc loco fuit festi paschalis computatio, de qua cum supra satis jam disputaverim, id unum addam, quod haec de celebrandis festis paschalibus diebus dissensio adeo paene una ac sola controversiae causa fuisse videtur, ut Columba in epistulis suis de nullo alio Scotorum more verba faceret. Nam erravit Rettbergius (II, p. 37) cum putavit Columbam Gregorio papae etiam de Scotorum tonsura scripsisse. De hac fit mentio in synodo Matisconensi, sed cognosci non potest, utrum Agrestius illam rem soli *„religioni Columbae“* sed etiam Eustasio crimini dederit (vit. Eustas. 12 Mab. II, p. 120), nescimus enim, quando Luxovienses morem illum deposuerint. Ceteris, quae proferebat, Agrestius partim regulam Columbae vituperavit, de qua infra dicendum est, partim nil nisi ritus, ex

quibus unum Jonas nominavit, quod Scoti *sacra missarum solemnia orationum et collectarum multiplici varietate* celebrarent (c. 10, p. 120 cf. Warren p. 96 sqq.), ceteros, cum Agrestium faceret dicentem „*et multa alia superflua*“ pari modo atque Beda (cf. supra p. 25) levioris momenti esse indicavit.

Haec sunt quae exstant dissensionis testimonia praeter id, quod saepius invenitur generatim et summatim dictum *Columbam a ceterorum moribus desciscere* (Agrestius apud Jon. vit. Eust. 10, p. 120) vel *ab omnium saecularium more desciscere* (Jon. vit. Col. 33, p. 19) vel *omnibus non sociari* (ibidem). Quorum tertium — quod Columba omnibus non sociari dicitur — haud scio an majoris momenti sit, quam tibi videatur. Idem enim Laurentius Cantuarensis Columbae crimini dedit dicens se *per Columbam abbatem didicisse Scotos nil discrepare a Britonibus in eorum conversatione* (Beda h. e. 2, 4, § 98), idem ipse Columba confitetur, cum scribit (ep. 1, p. 24 F): *constat nos* [etsi in Gallia sumus] *in nostra esse patria, dum nullas istorum suscipimus regulas Gallorum, sed in desertis sedentes, nulli molesti, cum nostrorum regulis manemus seniorum.* Unde manifestum est, Scotos illos peregrinantes nequaquam ut apostolum, qui „*quibusvis quidvis*“ erat, evangelium praedicasse, sed potius, quippe qui monachi essent, maluisse *in desertis sedere,* quam versantes in coetu hominum frequentiaque strenue laborare in corrigendis aliis.

Perpauca igitur sunt dissensionis testimonia, permulta, quae comprobent Columbam et suos, quamvis diversi fuerint ab aliis nonnulli eorum mores, tamen fide nequaquam neque unquam ab unitate catholica dissensisse.

Jure quidem dicat fortasse quispiam de sola fide sanctae Trinitatis Columbam dixisse, cum papam oraret „*per unitatem fidei nostrae, quae invicem est*“ (ep. 1, p. 24 E). Sed quid dicat, si audiat Columbam dicentem ad patres synodi (ep. 2, p. 25 G): *capiat nos simul, oro, Gallia, quos capiet regnum coelorum . . . Unum enim regnum habemus et unam spem vocationis in Christo,* et ad eosdem p. 26 E: *unius enim sumus corporis commembra sive Galli sive Britanni sive Iberi sive quaeque gentes . . .?* An putemus eum, qui haereticum esse judicaverit, quicunque Sti Hieronymi auctoritatem laeserit (ep. 5, p. 32 G), inconsultius coacta projecisse illa verba? Qui vero nihilosecius dubitat, benigne eis, quae sequuntur, tribuat aurem.

Maxime enim perspicua fit perfecta illa fidei unitas in ea ipsa re, de qua dissensionem potius nos inventuros esse putaremus, si ipsis epistulis non lectis Ebrardo et — quid magis mirandum est? — ipsi Warrenio (p. 37 sqq.) fidem adjungeremus, — scilicet in iis, quae de auctoritate papae Columba epistulis suis injecit, verbis. Nam quo certius est (cf. Loening II, p. 418 et

p. 69—72) episcopos Romanos ea, de qua agimus aetate, efficacem occidentalis nedum totius ecclesiae principatum nequaquam obtinuisse, eo minus negari potest eos, qui principatum illum episcopis Romanis tribuant, hac ipsa re manifeste indicare se esse et velle esse participes unius, prout tunc intellegebatur, sanctae ecclesiae catholicae. Talis erat Columba. Claris enim verbis, clarioribus, quam ullus aequalium ejus, principatum illum episcopo Romano attribuit. Hoc ex ipsa illa controversia paschali luculentissime apparet.

Columbam, cum cognovisset Francos Victorii cyclo paschali utentes de computandis festis diebus paschalibus secum dissentire, suam traditionem veram atque catholicam putavisse supra jam vidimus. Fretus igitur traditionis suae veritate ipse controversiae causam inferens Gregorium papam per litteras appellavit: „*miror, fateor,* inquit, *a te hunc Galliae errorem . . . jam diu non fuisse rasum, nisi forte putem, quod vix credere possum, dum eum constat a te non fuisse emendatum, apud te esse probatum* (ep. 5, p. 32 C) . . . *aut excusa aut damna Victorium* (ib. F). Neque hanc dijudicandi potestatem papae non attribuit nisi quamdin speravit fore, ut papa a sua parte staret, immo postquam sibi persuasit ecclesiae Romanae consuetudinem eandem esse atque Gallorum, tunc facultatem permanendi in sua traditione a papa sibi quaerendam esse censens Bonifatio papae scripsit: „*si non contra fidem est, nostrorum traditionem robores seniorum, quo ritum paschae sicut accepimus a majoribus observare per tuum possimus judicium in nostra peregrinatione*“ (ep. 1, p. 24 F). Neque ulla tunc in sedem apostolicam exacerbatus erat indignatione, etiam tunc cupiebat *omnes sedi apostolicae praesidentes, dulcissimos omnibus praesules fidelibus, ac merito apostolici honoris reverendissimos patres visitare* (ibid. D). Ergo non simulata est reverentia illa, qua commotus Bonifatio papae epistulam inscripsit ut *pulcherrimo omnium totius Europae ecclesiarum capiti, papae praedulci, praecelso praesuli, pastorum pastori* (ep. 4, p. 28 E), ergo non blanditiis usus — profecto Columba non is erat, qui blandiretur — „*libere,* inquit, *eloquar* [papis] *nostris utpote magistris ac spiritualis navis gubernatoribus*“ (ib. 28 G), ergo non ficta erat oboedientia dicentis: „*nos enim SS. Petri et Pauli et omnium discipulorum divinum canonem Spiritu sancto scribentium discipuli sumus, toti Heberi* [= omnes Hiberni], *ultimi habitatores mundi nihil extra evangelicam et apostolicam doctrinam recipientes . . . fides catholica sicut a vobis primum sanctorum scilicet apostolorum successoribus tradita est* [apud nos] *inconcussa tenetur* [1] (ep. 4,

[1] Quomodo Ebrardus (p. 15) in his verbis testimonium invenerit „*für das ausschliessliche Ansehen der hl. Schrift*“, non intellego. Adhuc enim nostrae aetatis catholici iisdem verbis uti possunt, quia

28 H) et similia in eadem epistula (p. 30 E): *nos enim, ut ante dixi, devincti sumus cathedrae Scti Petri, licet enim Roma magna est et vulgata, per istam cathedram tantum apud nos est magna et clara.* His verbis paulisper insistamus. Nam magni momenti est cognoscere Columbam verbis illis distinxisse inter cathedram Romanae sedis apostolicae et ipsam urbem Romam et voluisse aliam esse auctoritatem sedis apostolicae aliam gloriam ac laudem aeternae illius urbis. Quod nisi cognoverimus, non intellegemus, quid sibi velint ejusdem epistulae verba haecce: *„propter Christi geminos apostolos . . . vos prope coelestes estis et Roma orbis terrarum caput est ecclesiarum, salva loci dominicae resurrectionis singulari praerogativa.“* Nam aliter ac dicta sunt. Warrenius haec verba accepit, cum scriberet (p. 38): *He allows a high post of honour to the See of Rome, but second to that of Jerusalem, the place of our Lord's ressurection,* — nam de sede Hierosolymitana nil inest in his verbis, immo Columba, cum Romam *orbis terrarum ecclesiarum* [non *Europae* sicut supra 28 H] *caput* nominet salva reverentia erga locum resurrectionis domini, etiam ecclesiam et sedem Hierosolymitanam Romano pontifici subjectam esse confitetur, quamvis Romanae urbis gloriam urbis Hiersolymorum gloriam non aequiperare affirmet.

Non vero negandum est, sed potius Warrenio (p. 38) libenter concedendum Columbam in hac ipsa epistula ad Bonifatium papam missa audacissimis usum esse verbis: *„vigila,* inquit, *papa, vigila, et iterum dico vigila, quia forte non bene vigilavit Vigilius*[1] (537—555), *quem caput scandali isti clamant, qui vobis culpam injiciunt* (ep. 4, p. 29 C) . . . *papa vigila, tempus est de somno surgere* (p. 29 E), *haereticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur“* (p. 30 B).

Profecto audacter haec dicta sunt, audacter pro *„procacitate“* Columbae, cujus ipse sibi conscius erat (ep. 5, p. 33 B). Sed quid est, cur verbis tam audacibus usus sit? Ipsum audiamus: *„dolor enim, inquit, me compellit vobis indicare humillima ut decet suggestione, quod nomen dei per vos blasphematur inter gentes. Doleo enim, fateor, de infamia cathedrae Scti Petri* (p. 28 G) . . . *haereticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur“* (p. 30 B). Haec erat causa. Et quo spectant illa verba? *„Idcirco precor,* inquit, *subvenite famae vestrae, quae laceratur inter gentes . . ut honore apostolico non careas, conserva fidem apostolicam* (p. 30

---

credunt summorum pontificum decretalia doctrinam apostolorum esse, traditam ab illis successoribus suis. Neque aliter pro suo tempore Columba.

[1] Itaque Columba *„de summi pontificis infallibilitate personali“* idem judicium fecit, quod anno 1870 archiepiscopus Pragensis. Mirandum esset, si aliter res sese haberet.

et 29 B) . . *ad te namque totius exercitus domini . . . periculum pertinet. Te totum exspectat, qui potestatem habes* (Ms.: habens) *omnia ordinandi, bellum instituendi, duces excitandi* etc. (p. 29 F). His verbis quid clarius? Proferant scriptorem ejusdem aetatis Ebrardus et Warrenius, producant, si possunt, vel civem ipsius urbis Romae, qui similibus verbis loquatur de potestate papae. Luce clarius est Columbam episcopo sedis Romanae, utpote quae insignis esset traditione a Petro et Paulo profecta, quoad traditionem illam sequeretur concessisse summam in universa ecclesia docendi et judicandi potestatem.

Unde sequitur Columbam de omnibus, quae publicae doctrinae erant, consensisse cum ecclesia Romana ac quidem id temporis, cum, quae esset Romana christianae doctrinae forma, compertum jam habebat, nam epistula illa ad Bonifatium papam missa, qua potissimum usi sumus, jam in Italia conscripta est. Neque — id, quod jam per se incredibile est, nam saepius Columba se ipsum induxit unum pro omnibus Hibernis dicentem — illa sententia propria erat unius Columbae, similia sunt, quae Jonas Bobiensis dixit: „*Aequilejenses dissentiunt a communione sedis apostolicae, de qua dominus in evangelio ad beatum apostolorum principem Petrum loquitur: tu es etc. Mt., 16, 18*“ (vit. Eustas. 7, Mab. II, ann. 625, p. 119). Denique dignum est commemoratione, quod omnium occidentis monasteriorum primum Bobiense rogante abbate anno jam 628 neglecta vel remota episcopi jurisdictione soli papae subjectum est (cf. Harttung p. 62—69).

Quae cum ita sint, colligendum est ecclesiam illam, in qua Columba natus erat atque educatus, tunc temporis nequaquam inimicam fuisse sedi apostolicae. Quin etiam disertissime et planissime scriptum est in epistula Cumeani Gregorium papam apud omnes Scotos et apud ipsos Hiienses magna floruisse auctoritate, nam „*ad Gregorii papae,* inquit Cumeanus (Usser, ep. hib. syll. p. 21), *urbis Romae episcopi, a nobis in commune suscepti et oris et aurei appellatione donati, verba me converti . . .*“ Attamen non nego, „liberam“ fuisse ecclesiam Scotorum a potestate et jurisdictione papae, sed liberam non alienam, neque alia erat libertas illa atque qua iisdem temporibus ecclesia Gallicana fruebatur, — nam etiam in Gallia auctoritas episcopi Romani tunc temporis verbis non minuebatur, revera autem vix comparuit. Inimicitiae ergo inter episcopos Romanos et posterioris temporis Scotos, si quae fuerunt[1], non causa fuerunt sed exitus controversiae illius inter Scotos et Anglo-Saxones.

[1] Tales inimicitiae videntur elucere e versibus quibusdam Hibernicis codici epp. Paul. Boerneriano (saec. IX) in margine ascriptis, quorum notitiam Franciscus Delitzschius, vir summe reverendus, humanissime mihi comparavit (cf. Ebrard, Bonifatius p. 10). Scripta

Haec, in quam adducti sumus, de Columba et de sociis ejus sententia, ipsius Columbae verbis nititur, ipsum audivimus loquentem et de iis, quibus dissentiebat a Romanis et de iis, quibus consentiebat. In his cum nil obscuri relictum esset, nobis non opus esset perscrutari, num plures dissensionis causae occurrerent, si neglectis ipsius Columbae verbis ex iis, quae de vita ejus et sociorum memoriae prodita sunt, conaremur enucleare, quae fuissent Scotorum propria, nisi Ebrardus circuitione quadam ex illis ipsis vitis paene omnia sua duxisset argumenta.

Non vero meum putavi verbosius demonstrare falsum esse, quod Ebrardus sibi finxit (p. 118—132): Scotos in continenti peregrinantes neque sanctis neque eorum reliquiis cultum tribuisse. Nam, qui non concedat Columbam et socios, quos arctissimis consensionis vinculis cum sede apostolica conjunctos fuisse vidimus, nullo pacto potuisse dissentire de illa re, quae tunc paene summa erat religionis christianae, eum etiam gravissimis argumentis revinci posse jam desperavi. Immo credat Ebrardo, ubicunque mentio fiat sanctorum et reliquiarum etiam in antiquissimis vitis eorum, quibus cum Columba erat necessitudo (e. g. Jonas, vit. Col. 44 Mab. II, ann. 615, p. 22; Jonas, vit. Attal. 5 ib. ann. 627, p. 125; Jonas, vit. Burgundof. 6 ib. ann. 665, p. 142, cf. *interventu filiae* ib. 10, p. 443; vit. Wandregis. prior. 13, ib. 667, p. 530[1], denique [omissis vit. Romarici 3 ib. ann. 653, p. 417; vit. Adelphii 7 ib. 603; vit. Amati 29 ib. ann. 627, p. 135, quippe quae juniores sint] ex vit. Salabergae, et ipsa aetate posteriore [cf. Büdinger, Sitzungsberichte der Wiener Academie XXIII, hist.-phil. Kl. 372—383] sed

---

sunt (translata a Dr. Todd apud *Scrivener, A plain introduction to the Criticism* etc. sec. ed. 1874. p. 157) hoc modo:

To go to Rome, to go to Rome,
Much of trouble, little of profit,
The king thou seekest here,
If thou bring Him not with thee, thou findest not.

Great folly, great madness,
Great ruin of sense, great insanity,
Since thou hast set out for the sake of going to death,
That thou shouldest be in disobedience to the Son of Mary.

Compositi sunt hi versus, ut putant, in monasterio Sangallensi, itaque ad cognoscendum peregrinantium Scotorum animum magni essent momenti, si sciremus, a quonam facta essent, et qua de causa. Nunc cum quia multo post compositam controversiam concripti sunt, tum quia nemo scit, num fortasse is, qui eos pepigit, sua ipsius quadam causa in Romanos fuerit incitatus, commemorandi sunt, sed neglegendi in explananda ipsa re.

[1] Nova illius vitae editio exstat in Arndt, *Kleine Denkmäler aus der Merowingerzeit. 1875*, sed simplicius est etiam hujus vitae locos repetere ex Mabilionis editione.

magni aestimata ab ipso Ebrardo, c. 11 ib. ann. 655, p. 425), credat, inquam, Ebrardo illas reliquiarum et sanctorum mentiones additamenta esse scriptorum, quibus sanctos exornandos esse perperam illi putaverint; — credat Columbam saepissime verba fecisse de *Sancto Petro*, *Sancto Paulo*, *Sancto Hieronymo* (sed de „*Eusebio Caesariensi*" ep. 5, p. 32 A), sed hoc non aliter dictum esse atque illud „*vivus namque sanctus emendare potest, quae ab altero majore emendata non fuerint*" (ep. 5, p. 32 C) vel illud „*a Sancto Candido tuo*" (ib. p. 33 B); — credat Columbam petiisse a papis, ut pro se *orarent juxta loco sancta et sanctorum cineres*" (ep. 4, p. 31 E et ep. 1, p. 24 F), sed ei prorsus incompertum fuisse, quomodo papae solerent orare juxta loca sancta, neque dubitandum esse, quin ipse Columba, si Romam venisset *Gregorium* papam, ut ait, *desiderans non Romam* „*salva sanctorum reverentia cinerum*" (ep. 5, p. 33 A, cf. Fleming p. 159, nam Bibl. max. p. 33 A invenies *cinerem*), longe aliter atque papae oraturus fuerit juxta sanctorum cineres, quamvis ipse dicat (instructio I, Bibl. max. 12, p. 10 D) *deum per sanctorum suorum merita et interventus orandum* esse; — persuadeat sibi Columbam Turonibus visitasse sepulcrum Scti Martini neque coluisse eum ut alii illius aetatis catholici, quamvis Jonas Columbam inducat dicentem *non idcirco ad ejus* (Martini) *se excubasse reliquias, ut ille sua ac suorum sineret damna patrari fratrum* (vit. Col. 44, p. 23, cf. 42, p. 22).

Aliae autem duae hoc loco exsistunt quaestiones, dignae, quae severe examinentur, prior, quid Columbae et socii ejus judicaverint de virginitate et de clericorum matrimoniis, altera, num alia fuerit apud socios Columbae vita monachica atque in univera ecclesia et quid de monachorum vita ipse Columba statuerit.

Scotos [et Britones] de clericorum matrimoniis non idem sensisse quod ceterae illius aetatis ecclesiae non solus Ebrardus (p. 206 sqq.) affirmavit, sed, cum Rettbergius (I p. 320 et 324) eandem sententiam tulisset, in Germania evangelicorum, qui de Britonum Scotorumque ecclesiis verba fecerunt, omnes, nisi fallor, excepto Loeningio, eandem falsam persuasionem sibi induerunt; quin etiam Scotorum monachos nonnumquam in matrimoniis vixisse Plittius Ebrardo concessit (Erlanger Zeitschrift für Protest. u. Ke. 1864, p. 287), neque defuerunt in Anglia, qui — ut taceam de M'Lauchlan cum Ebrardo consentiente (cf. Ebrard, p. VII) — dicerent: *there are passages, which prove, that a married priesthood was not unknown in various parts and at various periods of the Celtic church* (Warren p. 13). Quam rem, cum maximi momenti sit in aestimandis rebus a Bonifatio gestis, paullo verbosius etiam hoc loco tractare mihi liceat.

Exordium igitur capiens a monachorum matrimoniis fateor

conspectum aliorum hominum processerint, recte sperare possumus fore, ut in illorum vita Scotorum mores manifestissimi sub aspectum nobis subjiciantur. Attamen quia ipsi Scoti peregrinantes adeo peregrini erant in hoc mundo, ut, quamvis peritissimi essent scribendi, tamen voluntatem non haberent litteris consignandi, quae ipsi experti essent, quae docerent, quae laudarent, quae vituperarent, — illa spes nos destitueret, nisi fuisset Columba[1]) Luxoviensis. Hic, omnium Scotorum, qui in continentem venerunt, haud dubie clarissimus, unus est, de quo multa memoriae prodita sint, primus, de quo omnino certi aliquid dici possit. Nam de vita Fridolini, quem non sine aliquo jure primum in Francia Scotum Ebrardus nominavit (p. 285), nil certo scimus, nedum de moribus (cf. Rettberg, II, p. 29 sqq.). Optimo enim jure Rettbergius, cui paene omnes hodie assentiuntur (cf. Wattenbach, Geschichtsquellen I, p. 35) vetuit, ne amplius historici more majorum e sanctorum vitis ipsorum aetate longe inferioribus, quae ab iis gesta essent, conarentur enucleare. Sed alia est Ebrardi sententia. Scriptori cuidam multa fabulosa enarranti non omnino fidem abrogandam esse censet, quaerendum esse potius, quae vera et certa referat, quae falsa (p. 299). — Honesta haec oratio, nec tamen probari potest. Nam qui intellexerint certam notitiam praeteritorum temporum suis finibus, exiguis sane, contineri, ii, cum ea sit fabularis historiae natura, ut verum a falso secerni non possit, facile sibi persuadebunt eos scriptores, qui ex sola fama hauserint, dignos non esse, quibus in scribenda historia utamur. Nam cum luce clarius sit non omnia vera esse, quae vera esse possunt, si ratione illa, quam Ebrardus exoptat, uterentur historici, fieri non posset, quin — ut sciurus in frangendis nucibus gustatu, qui sit nucleus, dijudicat — ita historici alius alias sibi eligeret, prout cuique placuisset, veri et falsi notas.

Hoc ipsum iis, quae Ebrardus de Fridolino disseruit, ut exemplis comprobatur. Ex quibus unum est, quod Ebrardus, postquam enarravit Fridolinum teste Balthero (vit. Frid. 12, Act. SS. Boll. Mart. 6, p. 435) praedicasse „*quomodo filius dei ... mundi voraginem intraret, scilicet propter nostra peccata, seu quid pro nobis pateretur*“ hanc Baltheri narrationem veritate niti his verbis sibi videtur comprobasse: *Diese energische Hinweisung auf Christi sühnenden Kreuzestod, diese soteriologische Fassung der christlichen Lehre als der Heilslehre, ist so sichtlich culdeisch, dass hier das Zugrundeliegen einer sehr alten Quelle nicht verkannt werden kann* (p. 294). Alia plura hujusmodi proferre

---

[1] *Columbanus ... qui et Columba* — Jon. vit. Col. 6, Mab. II, ann. 615, p. 7; ipse in epistulis Columbam non Colambanum se appellavit.

possum sed longum est et supervacaneum, nam facile sibi ipse quisque persuadebit Ebrardum Balthero majorem fidem non attulisse.

Fridolino autem omisso primi Scotorum, quantum nos scimus, in continentem venerunt Columba et socii ejus.

Columba igitur natione Scotus, natus in ea Hiberniae parte, quam Lagenorum terram incolae nominabant (i. e. Leinster cf. Jonae, abbatis Bobiensis, de quo vid. Wattenbach, Geschichtsquellen I, p. 99, vit. Col. c. 6 et 9. Mab. II ann. 615, p. 7 et 8) eruditus in clarissimo monasterio Benchorensi in Ultonia (cf. p. 55) non ita multo ante annum 590 natale solum reliquit.[1] Voti sui fuisse *gentes visitare et evangelium eis a se suisque praedicari* ipse affirmavit (epist. 3 ad discip. Bibl. max. patr. XII, p. 27 D; Flemingi Coll. p. 132 [2]), sed aut voti compos factus non est aut, quam vim habeant illa verba, cognoscitur et ex eventu — monasteriis conditis, et ex iis, quae omnino constant de Scotorum peregrinationibus, quarum Scotos ipsius peregrinandi causa studiosos fuisse scimus (cf. supra p. 68 sq. et infra in fine). Peregrinans igitur pro Christo amore coelestis patriae commotus cum in Galliam venisset, a Childeberto rege, hujus nominis secundo (575—596), honorifice susceptus potestatem monasteriorum condendorum a rege flagitasse videtur (Jon. vit. Col. 12, Mab. II ann. 615, p. 10) et potestate data deserta montis Vosagi loca petiit. Ibi primum constituit monasterium Anagratense et postea aucto monachorum numero Luxoviense et Fontanense; ipse, abbas Luxoviensis monasterii, quippe quod aliorum principatum teneret (cf. supra p. 55), modo hic modo illic versabatur (Hertel p. 410) — donec anno 610 Theodoricus rex

---

[1] Quo anno Columba in Galliam venerit, discrepat inter viros doctos cf. Flemingi Coll. (vide annotationem sequentem) p. 317 sqq.; Act. SS. Boll. Oct. 16 (tom. VII, 2) p. 866 sqq.; Ebrard p. 16 not. 16; eundem in *Zeitschrift für d. histor. Theol.* 1875, p. 500 sqq.; Greith p. 266—69; Hertel in *Zeitschrift für d. hist. Theol.* 1875, p. 403 sqq. et in *Zeitschrift für Kirchengesch.* III (1879), p. 145 sqq.; Loening II, p. 415 not. 1. Omnes excepto Ebrardo, qui Columbam anno demum 594 in Franciam venisse opinatur, consentiunt monasterium Luxoviense anno 590 vel 591 conditum esse.

[2] Columbae opera primus edidit Patricius Flemingus, Hibernus (Collectanea sacra. Lovanii. 1667). Ea, quae in Bibliotheca maxima patr. XII (Lugdun. 1707) exstat operum Columbae editio nil est nisi Flemingi editio repetita et quidem tanta levitate repetita, ut e. g., cum Flemingi observationes praeviae in regulas Columbae denuo typis exscriberentur (p. 2 sq.), bis transscriberetur Flemingi illud „*ut infra plenius ostenditur*“ vel „*qua de re infra latius*“ quamquam omissis Flemingi annotationibus neque hoc neque illud infra invenitur. Tamen quia, quo loco singula verba reperiantur, accuratius describi potest si editione Bibl. max. utimur, Flemingi paginas non amplius addam.

(596—613), qui Childeberto patri in Burgundia successerat, Columbae propter suas — ipsius Theodorici — res jam dudum inimicus eum comprehendi jussit et per Ligerim Nannetensem in urbem transportatum in patriam remittendum curavit. Sed Columba data fugiendi facultate ipsa Nannetensi urbe elapsus ad Theodebertum II, Austrasiae regem, fratrem Theodorici, pervenit et ab eo potestatem accepit habitandi et praedicandi Brigantiae, in urbe Helvetiae. Inde tribus post annis insidiis Theodorici cedens abiit in Italiam ibique Bobiensis monasterii ab ipso conditi primus abbas anno 615, ut videtur, vita decessit.

Haec de vita Columbae. De moribus ejus quid dicendum sit, magis nostra interest. — Qui essent Scotorum mores proprii in Columba et in sociis ejus brevi apparuit, nam *Scoticarum tratitionum tenacissimus consectator* non sine aliquo jure Columba appellatus est in codice quodam vetusto Sangallensi (Greith p. 295). Sed quando controversia de Scotorum moribus in Gallia exorta sit, accuratius definiri non potest. Primum controversiae testimonium occurrit nobis prima [et una, quae ad nostram aetatem permansit] Columbae epistula ad Gregorium Magnum missa, sed quo tempore illa conscripta sit, nescimus, quamvis verisimile sit, eam posterioribus potius Gregorii annis exaratam esse, quam prioribus.[1] Publice deinde duodecim annis post Columbae „*in eremum*“ adventum (ep. 2, Bibl. max. XII, p. 25 G) — anno 602 vel 603, ut videtur, — in synodo quadam[2] actum est de controversia. Ad quam synodum Columba cum ipse venire nollet, *ne forte contenderet praesens contra apostoli dictum dicentis: noli verbis contendere* (ep. 2, p. 25 H), scripsit ad patres synodi epistolam, quae exstat secunda (Bibl. max. XII, p. 24 sqq.).

Has duas epistolas, illam ad Gregorium et hanc ad patres synodi missam, cum conscriberet, Columbae nondum persuaderi poterat Gallorum celebrandi festi paschalis morem pravum non

---

[1] Greithius (p. 266) epistulae aetatem indicari putat commemorato a Columba Candido presbytero a Gregorio in Galliam misso, sed et Candidus post annum circiter 595 (cf. Greg. ad. Cand.; op. ed. Bened. II, p. 796) complures annos in Gallia versabatur (cf. ep. Greg. ad. Cand.; op. II, p. 1171) et, quot mensibus vel annis post illius adventum epistula Columbae scripta sit, in occulto latet. Sed Laurentius Cantuarensis, nisi mentitus est (Beda h. e. 2, 4, § 98), de Columba non audivit nisi postquam Britones cognovit, ergo post annum 597 vel potius 601; quod, cum frequentissimum commercium tunc fuerit inter Britanniam et Galliam et Romam, et cum ipsi Candido cum Augustino et Laurentio consuetudo fuerit, videtur indicare, controversiam illam vix ante exeuntis saeculi tempus esse ortam.

[2] Hanc synodum intellegendam esse synodum Cabillonensem anni 603 conjectura sagacissima opinatus est Hertelius — Zeitschrift f. Kirchengesch. III, p. 148 sqq.

esse, immo putabat, suum morem esse catholicum neque dubitabat, quin Romanorum mos cum suo congrueret. Quam opinionem postquam falsam cognovit, tertia, quae exstat, epistola ad Gregorii successorem, quiquis fuit [Bonifatius IV? Fleming, p. 111, not. a), missa hoc unum a papa petivit, ut sibi suisque liceret amplius observare traditionem majorum (ep. 1 Bibl. max. XII, p. 24 F). Et observata est anno etiam 610, nam Columba in epistula illa, quam ex Nannetensi urbe ad discipulos suos misit, hortatus est suos, ne alienarentur a sua traditione, quam etiam tunc meliorem judicabat (ep. 3. Bibl. max. XII, p. 27 B). Tamen in Italia Columba videtur se conformasse ad morem universae ecclesiae, nam in ultima, quam habemus, epistula, ex ipsa Italia ad Bonifatium IV papam missa (ep. 4. Bibl. max. p. 28 sqq.) de paschali controversia non jam fit mentio. Eodem tempore in Gallia discipulos Columbae Scotorum celebrandi morem deposuisse suspicandum est. Tamen nonnulla relinquebantur Scotorum propria, quae Gallis offensioni esse possent. Quo factum est, ut anno etiam 624 (Mab. II, vit. Eustas. 10. ann. 625, p. 119) Agrestius, perfidus et infidelis quidam Luxoviensis monasterii monachus, Eustasium abbatem Luxoviensem, cui inimicus erat, coram synodo, Matisconensi in urbe congregata, episcopis nonnullis adjutus dissensionis ab ecclesia catholica accusare posset. Qua in synodo de festis diebus paschalibus celebrandis non jam agebatur, et ceteris, quae protulit, Agrestius minime effecit, ut discordiam concitaret. Deinde ex eo tempore Galli non jam meminerunt Columbam et socios ejus fuisse peregrinos et moribus sibi ipsis alienos: nam quae propria fuerant Scotorum partim ab ipsis deposita erant partim recepta a Gallis aliena esse desierant.

Sed quaenam erant illa Scotorum propria? Haec denuo hoc loco exsistit quaestio eique solvendae denuo operam navantes ea, quae supra jam diximus, cum confirmabimus tum explebimus.

Praecipua controversionis causa etiam hoc loco fuit festi paschalis computatio, de qua cum supra satis jam disputaverim, id unum addam, quod haec de celebrandis festis paschalibus diebus dissensio adeo paene una ac sola controversiae causa fuisse videtur, ut Columba in epistulis suis de nullo alio Scotorum more verba faceret. Nam erravit Rettbergius (II, p. 37) cum putavit Columbam Gregorio papae etiam de Scotorum tonsura scripsisse. De hac fit mentio in synodo Matisconensi, sed cognosci non potest, utrum Agrestius illam rem soli „*religioni Columbae*“ sed etiam Eustasio crimini dederit (vit. Eustas. 12 Mab. II, p. 120), nescimus enim, quando Luxovienses morem illum deposuerint. Ceteris, quae proferebat, Agrestius partim regulam Columbae vituperavit, de qua infra dicendum est, partim nil nisi ritus, ex

quibus unum Jonas nominavit, quod Scoti *sacra missarum solemnia orationum et collectarum multiplici varietate* celebrarent (c. 10, p. 120 cf. Warren p. 96 sqq.), ceteros, cum Agrestium faceret dicentem „*et multa alia superflua*“ pari modo atque Beda (cf. supra p. 25) levioris momenti esse indicavit.

Haec sunt quae exstant dissensionis testimonia praeter id, quod saepius invenitur generatim et summatim dictum *Columbam a ceterorum moribus desciscere* (Agrestius apud Jon. vit. Eust. 10, p. 120) vel *ab omnium saecularium more desciscere* (Jon. vit. Col. 33, p. 19) vel *omnibus non sociari* (ibidem). Quorum tertium — quod Columba omnibus non sociari dicitur — haud scio an majoris momenti sit, quam tibi videatur. Idem enim Laurentius Cantuarensis Columbae crimini dedit dicens se *per Columbam abbatem didicisse Scotos nil discrepare a Britonibus in eorum conversatione* (Beda h. e. 2, 4, § 98), idem ipse Columba confitetur, cum scribit (ep. 1, p. 24 F): *constat nos* [etsi in Gallia sumus] *in nostra esse patria, dum nullas istorum suscipimus regulas Gallorum, sed in desertis sedentes, nulli molesti, cum nostrorum regulis manemus seniorum.* Unde manifestum est, Scotos illos peregrinantes nequaquam ut apostolum, qui „*quibusvis quidvis*“ erat, evangelium praedicasse, sed potius, quippe qui monachi essent, maluisse *in desertis sedere*, quam versantes in coetu hominum frequentiaque strenue laborare in corrigendis aliis.

Perpauca igitur sunt dissensionis testimonia, permulta, quae comprobent Columbam et suos, quamvis diversi fuerint ab aliis nonnulli eorum mores, tamen fide nequaquam neque unquam ab unitate catholica dissensisse.

Jure quidem dicat fortasse quispiam de sola fide sanctae Trinitatis Columbam dixisse, cum papam oraret „*per unitatem fidei nostrae, quae invicem est*“ (ep. 1, p. 24 E). Sed quid dicat, si audiat Columbam dicentem ad patres synodi (ep. 2, p. 25 G): *capiat nos simul, oro, Gallia, quos capiet regnum coelorum . . . Unum enim regnum habemus et unam spem vocationis in Christo,* et ad eosdem p. 26 E: *unius enim sumus corporis commembra sive Galli sive Britanni sive Iberi sive quaeque gentes . . .?* An putemus eum, qui haereticum esse judicaverit, quicunque Sti Hieronymi auctoritatem laeserit (ep. 5, p. 32 G), inconsultius coacta projecisse illa verba? Qui vero nihilosecius dubitat, benigne eis, quae sequuntur, tribuat aurem.

Maxime enim perspicua fit perfecta illa fidei unitas in ea ipsa re, de qua dissensionem potius nos inventuros esse putaremus, si ipsis epistulis non lectis Ebrardo et — quid magis mirandum est? — ipsi Warrenio (p. 37 sqq.) fidem adjungeremus, — scilicet in iis, quae de auctoritate papae Columba epistulis suis injecit, verbis. Nam quo certius est (cf. Loening II, p. 418 et

p. 69—72) episcopos Romanos ea, de qua agimus aetate, efficacem occidentalis nedum totius ecclesiae principatum nequaquam obtinuisse, eo minus negari potest eos, qui principatum illum episcopis Romanis tribuant, hac ipsa re manifeste indicare se esse et velle esse participes unius, prout tunc intellegebatur, sanctae ecclesiae catholicae. Talis erat Columba. Claris enim verbis, clarioribus, quam ullus aequalium ejus, principatum illum episcopo Romano attribuit. Hoc ex ipsa illa controversia paschali luculentissime apparet.

Columbam, cum cognovisset Francos Victorii cyclo paschali utentes de computandis festis diebus paschalibus secum dissentire, suam traditionem veram atque catholicam putavisse supra jam vidimus. Fretus igitur traditionis suae veritate ipse controversiae causam inferens Gregorium papam per litteras appellavit: „*miror, fateor,* inquit, *a te hunc Galliae errorem . . . jam diu non fuisse rasum, nisi forte putem, quod vix credere possum, dum eum constat a te non fuisse emendatum, apud te esse probatum* (ep. 5, p. 32 C) . . . *aut excusa aut damna Victorium* (ib. F). Neque hanc dijudicandi potestatem papae non attribuit nisi quamdiu speravit fore, ut papa a sua parte staret, immo postquam sibi persuasit ecclesiae Romanae consuetudinem eandem esse atque Gallorum, tunc facultatem permanendi in sua traditione a papa sibi quaerendam esse censens Bonifatio papae scripsit: „*si non contra fidem est, nostrorum traditionem robores seniorum, quo ritum paschae sicut accepimus a majoribus observare per tuum possimus judicium in nostra peregrinatione*“ (ep. 1, p. 24 F). Neque ulla tunc in sedem apostolicam exacerbatus erat indignatione, etiam tunc cupiebat *omnes sedi apostolicae praesidentes, dulcissimos omnibus praesules fidelibus, ac merito apostolici honoris reverendissimos patres visitare* (ibid. D). Ergo non simulata est reverentia illa, qua commotus Bonifatio papae epistulam inscripsit ut *pulcherrimo omnium totius Europae ecclesiarum capiti, papae praedulci, praecelso praesuli, pastorum pastori* (ep. 4, p. 28 E), ergo non blanditiis usus — profecto Columba non is erat, qui blandiretur — „*libere,* inquit, *eloquar* [papis] *nostris utpote magistris ac spiritualis navis gubernatoribus*“ (ib. 28 G), ergo non ficta erat oboedientia dicentis: „*nos enim SS. Petri et Pauli et omnium discipulorum divinum canonem Spiritu sancto scribentium discipuli sumus, toti Heberi* [= omnes Hiberni], *ultimi habitatores mundi nihil extra evangelicam et apostolicam doctrinam recipientes... fides catholica sicut a vobis primum sanctorum scilicet apostolorum successoribus tradita est* [apud nos] *inconcussa tenetur* [1] (ep. 4,

[1] Quomodo Ebrardus (p. 15) in his verbis testimonium invenerit *„für das ausschliessliche Ansehen der hl. Schrift“*, non intellego. Adhuc enim nostrae aetatis catholici iisdem verbis uti possunt, quia

28 H) et similia in eadem epistula (p. 30 E): *nos enim, ut ante dixi, devincti sumus cathedrae Scti Petri, licet enim Roma magna est et vulgata, per istam cathedram tantum apud nos est magna et clara.* His verbis paulisper insistamus. Nam magni momenti est cognoscere Columbam verbis illis distinxisse inter cathedram Romanae sedis apostolicae et ipsam urbem Romam et voluisse aliam esse auctoritatem sedis apostolicae aliam gloriam ac laudem aeternae illius urbis. Quod nisi cognoverimus, non intellegemus, quid sibi velint ejusdem epistulae verba haecce: „*propter Christi geminos apostolos . . . vos prope coelestes estis et Roma orbis terrarum caput est ecclesiarum, salva loci dominicae resurrectionis singulari praerogativa.*" Nam aliter ac dicta sunt. Warrenius haec verba accepit, cum scriberet (p. 38): *He allows a high post of honour to the See of Rome, but second to that of Jerusalem, the place of our Lord's ressurection,* — nam de sede Hierosolymitana nil inest in his verbis, immo Columba, cum Romam *orbis terrarum ecclesiarum* [non *Europae* sicut supra 28 H] *caput* nominet salva reverentia erga locum resurrectionis domini, etiam ecclesiam et sedem Hierosolymitanam Romano pontifici subjectam esse confitetur, quamvis Romanae urbis gloriam urbis Hiersolymorum gloriam non aequiperare affirmet.

Non vero negandum est, sed potius Warrenio (p. 38) libenter concedendum Columbam in hac ipsa epistula ad Bonifatium papam missa audacissimis usum esse verbis: „*vigila,* inquit, *papa, vigila, et iterum dico vigila, quia forte non bene vigilavit Vigilius*[1] (537—555), *quem caput scandali isti clamant, qui vobis culpam injiciunt* (ep. 4, p. 29 C) . . . *papa vigila, tempus est de somno surgere* (p. 29 E), *haereticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur*" (p. 30 B).

Profecto audacter haec dicta sunt, audacter pro „*procacitate*" Columbae, cujus ipse sibi conscius erat (ep. 5, p. 33 B). Sed quid est, cur verbis tam audacibus usus sit? Ipsum audiamus: „*dolor enim, inquit, me compellit vobis indicare humillima ut decet suggestione, quod nomen dei per vos blasphematur inter gentes. Doleo enim, fateor, de infamia cathedrae Scti Petri* (p. 28 G) . . . *haereticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur*" (p. 30 B). Haec erat causa. Et quo spectant illa verba? „*Idcirco precor,* inquit, *subvenite famae vestrae, quae laceratur inter gentes* . . *ut honore apostolico non careas, conserva fidem apostolicam* (p. 30

---

credunt summorum pontificum decretalia doctrinam apostolorum esse, traditam ab illis successoribus suis. Neque aliter pro suo tempore Columba.

[1] Itaque Columba „*de summi pontificis infallibilitate personali*" idem judicium fecit, quod anno 1870 archiepiscopus Pragensis. Mirandum esset, si aliter res sese haberet.

et 29 B) . . *ad te namque totius exercitus domini . . . periculum pertinet. Te totum exspectat, qui potestatem habes* (Ms.: habens) *omnia ordinandi, bellum instituendi, duces excitandi* etc. (p. 29 F). His verbis quid clarius? Proferant scriptorem ejusdem aetatis Ebrardus et Warrenius, producant, si possunt, vel civem ipsius urbis Romae, qui similibus verbis loquatur de potestate papae. Luce clarius est Columbam episcopo sedis Romanae, utpote quae insignis esset traditione a Petro et Paulo profecta, quoad traditionem illam sequeretur concessisse summam in universa ecclesia docendi et judicandi potestatem.

Unde sequitur Columbam de omnibus, quae publicae doctrinae erant, consensisse cum ecclesia Romana ac quidem id temporis, cum, quae esset Romana christianae doctrinae forma, compertum jam habebat, nam epistula illa ad Bonifatium papam missa, qua potissimum usi sumus, jam in Italia conscripta est. Neque — id, quod jam per se incredibile est, nam saepius Columba se ipsum induxit unum pro omnibus Hibernis dicentem — illa sententia propria erat unius Columbae, similia sunt, quae Jonas Bobiensis dixit: „*Aequilejenses dissentiunt a communione sedis apostolicae, de qua dominus in evangelio ad beatum apostolorum principem Petrum loquitur: tu es etc. Mt., 16, 18*" (vit. Eustas. 7, Mab. II, ann. 625, p. 119). Denique dignum est commemoratione, quod omnium occidentis monasteriorum primum Bobiense rogante abbate anno jam 628 neglecta vel remota episcopi jurisdictione soli papae subjectum est (cf. Harttung p. 62—69).

Quae cum ita sint, colligendum est ecclesiam illam, in qua Columba natus erat atque educatus, tunc temporis nequaquam inimicam fuisse sedi apostolicae. Quin etiam disertissime et planissime scriptum est in epistula Cumeani Gregorium papam apud omnes Scotos et apud ipsos Hiienses magna floruisse auctoritate, nam „*ad Gregorii papae*, inquit Cumeanus (Usser, ep. hib. syll. p. 21), *urbis Romae episcopi, a nobis in commune suscepti et oris et aurei appellatione donati, verba me converti . . .*" Attamen non nego, „liberam" fuisse ecclesiam Scotorum a potestate et jurisdictione papae, sed liberam non alienam, neque alia erat libertas illa atque qua iisdem temporibus ecclesia Gallicana fruebatur, — nam etiam in Gallia auctoritas episcopi Romani tunc temporis verbis non minuebatur, revera autem vix comparuit. Inimicitiae ergo inter episcopos Romanos et posterioris temporis Scotos, si quae fuerunt[1], non causa fuerunt sed exitus controversiae illius inter Scotos et Anglo-Saxones.

[1] Tales inimicitiae videntur elucere e versibus quibusdam Hibernicis codici epp. Paul. Boerneriano (saec. IX) in margine ascriptis, quorum notitiam Franciscus Delitzschius, vir summe reverendus, humanissime mihi comparavit (cf. Ebrard, Bonifatius p. 10). Scripta

Haec, in quam adducti sumus, de Columba et de sociis ejus sententia, ipsius Columbae verbis nititur, ipsum audivimus loquentem et de iis, quibus dissentiebat a Romanis et de iis, quibus consentiebat. In his cum nil obscuri relictum esset, nobis non opus esset perscrutari, num plures dissensionis causae occurrerent, si neglectis ipsius Columbae verbis ex iis, quae de vita ejus et sociorum memoriae prodita sunt, conaremur enucleare, quae fuissent Scotorum propria, nisi Ebrardus circuitione quadam ex illis ipsis vitis paene omnia sua duxisset argumenta.

Non vero meum putavi verbosius demonstrare falsum esse, quod Ebrardus sibi finxit (p. 118—132): Scotos in continenti peregrinantes neque sanctis neque eorum reliquiis cultum tribuisse. Nam, qui non concedat Columbam et socios, quos arctissimis consensionis vinculis cum sede apostolica conjunctos fuisse vidimus, nullo pacto potuisse dissentire de illa re, quae tunc paene summa erat religionis christianae, eum etiam gravissimis argumentis revinci posse jam desperavi. Immo credat Ebrardo, ubicunque mentio fiat sanctorum et reliquiarum etiam in antiquissimis vitis eorum, quibus cum Columba erat necessitudo (e. g. Jonas, vit. Col. 44 Mab. II, ann. 615, p. 22; Jonas, vit. Attal. 5 ib. ann. 627, p. 125; Jonas, vit. Burgundof. 6 ib. ann. 665, p. 142, cf. *interventu filiae* ib. 10, p. 443; vit. Wandregis. prior. 13, ib. 667, p. 530[1], denique [omissis vit. Romarici 3 ib. ann. 653, p. 417; vit. Adelphii 7 ib. 603; vit. Amati 29 ib. ann. 627, p. 135, quippe quae juniores sint] ex vit. Salabergae, et ipsa aetate posteriore [cf. Büdinger, Sitzungsberichte der Wiener Academie XXIII, hist.-phil. Kl. 372—383] sed

---

sunt (translata a Dr. Todd apud *Scrivener, A plain introduction to the Criticism* etc. sec. ed. 1874. p. 157) hoc modo:

To go to Rome, to go to Rome,
Much of trouble, little of profit,
The king thou seekest here,
If thou bring Him not with thee, thou findest not.

Great folly, great madness,
Great ruin of sense, great insanity,
Since thou hast set out for the sake of going to death,
That thou shouldest be in disobedience to the Son of Mary.

Compositi sunt hi versus, ut putant, in monasterio Sangallensi, itaque ad cognoscendum peregrinantium Scotorum animum magni essent momenti, si sciremus, a quonam facta essent, et qua de causa. Nunc cum quia multo post compositam controversiam concripti sunt, tum quia nemo scit, num fortasse is, qui eos pepigit, sua ipsius quadam causa in Romanos fuerit incitatus, commemorandi sunt, sed neglegendi in explananda ipsa re.

[1] Nova illius vitae editio exstat in Arndt, *Kleine Denkmäler aus der Merowingerzeit. 1875,* sed simplicius est etiam hujus vitae locos repetere ex Mabilionis editione.

magni aestimata ab ipso Ebrardo, c. 11 ib. ann. 655, p. 425), credat, inquam, Ebrardo illas reliquiarum et sanctorum mentiones additamenta esse scriptorum, quibus sanctos exornandos esse perperam illi putaverint; — credat Columbam saepissime verba fecisse de *Sancto Petro*, *Sancto Paulo*, *Sancto Hieronymo* (sed de „*Eusebio Caesariensi*" ep. 5, p. 32 A), sed hoc non aliter dictum esse atque illud „*vivus namque sanctus emendare potest, quae ab altero majore emendata non fuerint*" (ep. 5, p. 32 C) vel illud „*a Sancto Candido tuo*" (ib. p. 33 B); — credat Columbam petiisse a papis, ut pro se *orarent juxta loco sancta et sanctorum cineres*" (ep. 4, p. 31 E et ep. 1, p. 24 F), sed ei prorsus incompertum fuisse, quomodo papae solerent orare juxta loca sancta, neque dubitandum esse, quin ipse Columba, si Romam venisset *Gregorium* papam, ut ait, *desiderans non Romam* „*salva sanctorum reverentia cinerum*" (ep. 5, p. 33 A, cf. Fleming p. 159, nam Bibl. max. p. 33 A invenies *cinerem*), longe aliter atque papae oraturus fuerit juxta sanctorum cineres, quamvis ipse dicat (instructio I, Bibl. max. 12, p. 10 D) *deum per sanctorum suorum merita et interventus orandum* esse; — persuadeat sibi Columbam Turonibus visitasse sepulcrum Scti Martini neque coluisse eum ut alii illius aetatis catholici, quamvis Jonas Columbam inducat dicentem *non idcirco ad ejus* (Martini) *se excubasse reliquias, ut ille sua ac suorum sineret damna patrari fratrum* (vit. Col. 44, p. 23, cf. 42, p. 22).

Aliae autem duae hoc loco exsistunt quaestiones, dignae, quae severe examinentur, prior, quid Columbae et socii ejus judicaverint de virginitate et de clericorum matrimoniis, altera, num alia fuerit apud socios Columbae vita monachica atque in univera ecclesia et quid de monachorum vita ipse Columba statuerit.

Scotos [et Britones] de clericorum matrimoniis non idem sensisse quod ceterae illius aetatis ecclesiae non solus Ebrardus (p. 206 sqq.) affirmavit, sed, cum Rettbergius (I p. 320 et 324) eandem sententiam tulisset, in Germania evangelicorum, qui de Britonum Scotorumque ecclesiis verba fecerunt, omnes, nisi fallor, excepto Loeningio, eandem falsam persuasionem sibi induerunt; quin etiam Scotorum monachos nonnumquam in matrimoniis vixisse Plittius Ebrardo concessit (Erlanger Zeitschrift für Protest. u. Ke. 1864, p. 287), neque defuerunt in Anglia, qui — ut taceam de M'Lauchlan cum Ebrardo consentiente (cf. Ebrard, p. VII) — dicerent: *there are passages, which prove, that a married priesthood was not unknown in various parts and at various periods of the Celtic church* (Warren p. 13). Quam rem, cum maximi momenti sit in aestimandis rebus a Bonifatio gestis, paullo verbosius etiam hoc loco tractare mihi liceat.

Exordium igitur capiens a monachorum matrimoniis fateor

me neglecta Ebrardi admonitione (p. 206) judicare: absurdum esse putare monachos unquam vel usquam in ecclesia vixisse in legitimis matrimoniis. Scotorum vero monachos virginitatis votum suscepisse testis jam est — mihi quidem nec minus ipsi Loeningio (II, p. 426) — Columbae regulae caput VI „*de castitate*“, nam verbis illis „*quid prodest virgo corpore, si non sit virgo mente*“ (Bibl. max. XII, p. 4) Columba usus non esset, nisi sperasset omnes suos monachos esse *virgines corpore.* Secunda testis est summa illa auctoritas, qua St. Hieronymum, virginitatis praeconem, apud Scotos viguisse supra jam vidimus (cf. supra p. 94), tertia denique testis tota Sti. Columbae religio vel theologia, Unum sufficiat testimonium. Columba enim, postquam dixit (ep. 2, p. 26 B) oportere nos esse castos, humiles, placabiles sicut parvulos „*sed complere,* inquit, *haec omnia mulieres saepe videntes et circa mundi facultates saepius rixantes et irascentes difficillime possunt. Idcirco nostri semel mundo renunciantes .... facilius nudos, quam divites sermonem domini posse complere arbitrantur ..; infans enim humilis est, non laesus meminit, non mulierem videns concupiscit .... inde St. Hieronymus haec sciens jussit episcopos imitari apostolos monachos vero docuit sequi patres perfectos.* Perfectus ergo solus monachus, non omnes perfectos esse oportet. Voluntaria autem illa perfectione virginitatem contineri nemo unquam veterum non putavit, Columbam vero in eadem sententia fuisse eo meliore jure affirmare possumus, quo planioribus verbis hanc ipsam rem exposuit Aileranus Scotus ab ipso Ebrardo magni aestimatus, qui Columbae fere temporibus in monasterio Clonardensi in Hibernia vixisse putatur (cf. Fleming, Coll. p. 183). Is enim in interpretatione genealogiae Christi sub voce Aminadab (Fleming 189, Bibl. max. XII, p. 40 D): *spontaneus,* inquit, *Domini simus populus ... Unde et ipse veritas: si quis, inquit, vult, post me venire, et alibi: si vis perfectus esse, et iterum de virginitatis electione liberum reliquit arbitrium, dicens: qui potest capere, capiat.*

Quae cum ita sint, „testimonia“ illa, quae Ebrardus (p. 206 sqq.) attulit ad confirmandam suam opinionem, levia non esse non possunt. Neque difficile est hoc ostendere.

Primum igitur vituperandum est, quod Ebrardus ex vitis, quibus utitur, id solum accipit, quod opinionem suam videtur confirmare, contra, quae vitae dicunt contraria suae opinioni, ab ipsis scriptoribus ficta esse affirmat. At, si nobiscum reputamus, qualem sententiam apud ipsum Columbam invenerimus, certo non habemus, quod vitis fidem adjungere dubitemus. Revera igitur monasteria erant *congregationes virginum Christi* (Jon. vit. Eust. 17, p. 122; 2 p. 117 et saepius); neque potest dubitari, quin non soli scriptores (Jonas, vit. Burg. 3, Mab. II, ann. 655,

p. 440) sed ipsi sancti et ipsae sanctae, quibus cum Columba erat necessitudo, virginitatem tanti aestimaverint, ut nisi inviti a parentibus collocati sint (vit. Salabergae 6, Mab. II, ann. 655, p. 424) neque *sua sponte* desierint *divinis praeceptis se implicare*. Ergo non solis scriptoribus (Jonas, vit. Burg. 3, p. 440) sed etiam ipsis sanctis matrimonium et vita monachica ita inter se contraria esse videbantur, ut *consecrari deo* idem esset quod manere in virginitate (Jon. vit. Eust. 1, p. 117).

Ex singulis deinde testimoniis, quae Ebrardus profert, primum rejicienda sunt ea, quae repetivit ex vit. Salab. 17, p. 428; vit. Col. 23, p. 14 cf. Columb. ep. 3, p. 27 A; vit. Sal. 12, p. 426, nam cum ipse Ebrardus concedat his testimoniis rem confirmari non posse (p. 215), leviora sint necesse est.

Illud vero testimonium, quod ex Leodegarii vita desumpsit, nil aliud comprobat nisi miram quandam in scribendo levitatem. Nam Leodegario consuetudinem fuisse cum sociis Columbae affirmari omnino non potest (vid. Loening II, p. 428), certe fictum est eum vixisse in matrimonio. Ebrardus enim, quia Leodegarius moriens *mulierem coepit consolari* suam ipsius mulierem eum consolatum esse affirmat, quod de nulla alia muliere in prioribus mentio facta sit. Proh dolor! Si versus prioris diligentius rationem habuisset, mulierem illam intellexisset revera aliam non fuisse, quam comitis palatii Chrodeberti uxorem.[1]

Neque ex vit. Wandreg. prior. c. 4, Mab. II, p. 527 (Ebrard, p. 194) aliud quicquam colligi posse nisi quod Mabilio dixit: *Wandregisilus uxori castitatem persuadet*, ipse lector facile cognoscet.

Sed quid judicemus de iis vitarum locis, qui revera de monachorum filiis vel filiolis mentionem faciunt? Ante susceptum monachorum votum viri illi filios genuerunt. Haec prior est explanationis ratio eaque proxima, quia constat saepissime tunc temporis viros aetate provectiores aut mortuis uxoribus aut composito cum illis consilio monachorum collegio accessisse. Hac interpretandi ratione uti licet in vita Adelphii 7 (Mab. II, ann. 670, p. 603), ubi haec leguntur: *factum est, ut in die illo, quo festivitas Sancti Amati agebatur, filiolus ipsius sanctus Adelphius in eadem basilica sepeliretur*. Nil enim impedit, quominus ponamus Adelphium († 670) natum esse, priusquam Amatus monachorum vitam amplecteretur (circ. 591), nam Ebrardus, cum Adelphium anno 620 natum esse ex vita Adelphii c. 4 efficere conatur, nil aliud demonstravit nisi se ipsum locum, quo usus est, accurate non legisse.[2] Sed haud scio an illud *filiolus* hoc

---

[1] Hunc versum nisi ipse Loeningius videretur praetermisisse, ad ejus verba (II, p. 428) lectorem delegassem.

[2] Narrat enim vit. Adelph. 4 Mab. II, p. 603 Adelphium, j a m s e n e m, Luxovium pervenisse, ut fratres visitaret, et sancto

jam loco immutata verbi significatione dictum sit. Nam illa est altera explanationis ratio. Hanc ipsi scriptores nobis praebent, nam vit. Wandreg. c. 14, Mab. II, p. 531 monachi abbatis filioli appellati sunt (cf. supra p. 69). Consimiliter immutata est verbi filioli significatio in ea narratione, quam ex vita Bercharii (c. 19, Mab. II, ann. 685, p. 842) Ebrardus (p. 218) desumpsit. Narrat enim vita Bercharium, monachum ex anno fere 650, abbatem Dervensem, anno 685 interfectum esse a filiolo suo, *quem de sacro fonte susceptum monachum esse statuerat*, ut *patris sanguine manus proprias impudens filius macularet*. Profecto haec tandem verba videntur esse idonea, quae comprobent, fuisse monachos, qui uxores duxerint. Sed si, quod Ebrardus omisit, legeris, quae sequuntur, invenies Bercharium morientem dixisse interfectori: *deum tibi, frater, placabilem fieri studeto*, ergo monachus ille nisi immutata verborum significatione filius et filiolus Bercharii appellatus non est — eodem vel simili modo, quo in iis, quae antecedunt, sanctimoniales eidem Berchario subditae *filiolae* appellantur ab eo. Sed angustius valere illo loco puto vocem filii vel filioli, nam illud *quem de sacro fonte susceptum* etc. ostendit filiolum hoc loco nominari eum, cujus baptismo Bercharius sponsor interfuerat. Et hanc vocis filioli significationem apud omnes medii aevi scriptores occurrere affirmat Loeningius (II, p. 427 not. 2).

Haec de Ebrardi testimoniis. Certo leviora sunt, quam quibus ea, quae ex ipsius Columbae scriptis didicimus (cf. supr. p. 100) diluantur, ergo dubitari non potest, quin Scotorum monachi peregrinantes virginitatis voto fuerint obstricti.

Quodsi apud Scotos omnes clerici iidem monachi fuissent, etiam de clericorum matrimoniis satis jam esset dictum. Sed dubia haec res est (cf. supra p. 61 et 82), quin etiam certum est nequaquam omnes Hiberniae clericos ejusdem strictioris observantiae monachos fuisse atque peregrinantes (supra p. 61 et 67). An illis clericis, sive monachi dicendi sunt sive non dicendi, in matrimoniis vivere licebat? An inde dictum est a Columba *St. Hieronymum jussisse episcopos imitari apostolos, monachos vero docuisse sequi patres perfectos; — alia enim esse et alia clericorum et monachorum documenta et longe ab invicem separata* (ep. 2, p. 26 D)? Peropportunus hanc quaestionem ipse Columba dijudicavit. Interrogans enim Gregorium papam, num oporteret munere se abdicarent ii, qui *post in diaconatu*

---

fratri Emmoni commendatum esse, cui tunc de hospitibus institerit cura, ibique forte absente Emmone subito vita decessisse. Ex his Ebrardus coegit Adelphium, cum Luxoviensis monasterii discipulus factus esset eo tempore, quo Emmo puerorum magister erat (anno 666), ante annum 620 natum esse non posse (cf. Ebrard, p. 218).

adulterium electi essent episcopi, addidit „*absconsum tamen dico cum clientelis adulterium, quod apud nostros magistros non minoris censetur facinoris*', (ep. 5, p. 32 G). Obscura haec verba. Quid sibi vult *cum clientelis* illud? Ne diutius moremur in explicandis his verbis — nam accuratius examinata ipsa indicarent, quae esset vocis clientelae significatio — audiamus, quae scripta sunt in Columbae, qui dicitur, de poenitentiarum mensura libro c. 20 (Bibl. max. 12, p. 22, Wasserschleben, Bussordnungen p. 356): *Si quis clericus aut diaconus vel alicujus gradus, qui laicus fuit in saeculo cum filiis et filiabus, post conversionem suam iterum suam cognoverit clientelam et filium iterum de ea genuerit, sciat se adulterium perpetrasse et non minus pecasse, quam si ab juventute sua clericus fuisset et cum puella aliena peccasset, quia post votum suum peccavit, postquam se domino consecravit et votum suum irritum fecit* — et similia in Poenitentiali Vinniani, quem Wasserschlebenius eundem fuisse putavit atque Finianum Clonardensem (Wasserschl. Bussordnungen, p. 10 et 114; cf. supra p. 55): *si quis fuerit clericus aut alicujus gradus et laicus ante cum filiis et filiabus suis cleventella sua propria habitet et redeat ad carnale desiderium et genuerit filium ex cleventella, sciat se ruina maxima cecidisse non minus peccatum ejus ut esset clericus ex juventute* etc.

Nonne haec verba, in quibus praeter Columbae illud solis invenitur vox clientelae (cf. Du Cange sub. voc. clientelae), illud Columbae ita interpretantur, ut appareat vocem clientelae vim habere uxoris? Profecto aut Columbae nota erant Vinniani verba, aut ipse scripsit locum illum libri de poenitentiarum mensura, aut utrumque poenitentiale nititur in illa Columbae epistula. Quae res quomodo se habeat, nostra non refert.[1] Nam, simulat-

[1] Neque Vinniani libro neque Columbae, qui dicitur, de poenitentiarum mensura libro mihi licere uti constitui, quia uterque liber — quamvis levissima sint, quae Ebrardus (p. 154 et Zeitschrift für hist. Theol. 1875, p. 503) disseruit de Columbae libro, de quo solo mentionem fecit — incertior mihi videtur, quam quo utamur. Certe Vinniani Poenitentiale a Finiano Clonardensi conscriptum non est, — siquidem jure dictum est (Wasserschl. Bussordn., p. 10) illud niti in Patricii canonibus, quos saeculi septimi temporibus in Hibernia australi conscriptos esse puto (cf. supra p. 39 sq. et Cumeani ep. Usser. ep. Hibern. syll. p. 23). Itaque, num Vinniani liber ante Columbae Luxoviensis tempora compositus sit, valde dubium mihi esse videtur. In Columbae vero, qui dicitur, de poenitentiorum mensura libro ipsius Columbae et aliorum sententias compilatas esse Schoellius profecto non temere suspicatus est (p. 60), eaque de causa iis consentiam, qui illum librum saeculi septimi temporibus Bobiensi in monasterio compositum esse senserunt. Sed si quae ipsius Columbae sententiae in libro illo continentur — quod omnino dubium non est — certe origo illorum verborum de adulterio clericorum ab ipso

que cognovimus, quae sit notio vocis clientelae, luculentissime apparet ex iis, quae in epistula illa Columba Gregorio scripsit, Columbam ab omnibus clericis — ne inferiorum quidem graduum clericis exceptis — postulasse, ut in caelibatu viverent. Diserte enim ipse affirmavit in clericis adulterium cum uxoribus — ut ita dicam necessitate coactus — apud Scotos non minoris censeri facinoris quam adulterium cum puella quadam perpetratum.[1]

Quae cum ita sint, quo facilius est diluere, quae Ebrardus protulit ad confirmandam suam opinionem (cf. Loening II, p. 428 not. 1), eo magis mihi pertaesum est in his cassis operam perdere. Nostri potius judicii summam faciamus: tantum abest, ut testimoniis confirmatum sit vel etiam confirmari possit apud Scotos cum in Britannia et Hibernia tum in continenti clericorum matrimonia et saepius inventa sint et minus vituperata, ut contra liceat suspicari apud Scotos, utpote quibus etiam magis quam aliis vita monachorum summae perfectionis fuerit imago, et rariores fuisse clericos, qui in matrimoniis vel potius in adulteriis vel stupris vixerint, et si fuerint, rarius poenas effugisse, quam in aliis ecclesiae partibus inprimis in Gallia (cf. supra p. 82).

Soluta igitur priore earum quaestionum, quas supra proposueram, nunc ad alteram venientes quaeramus, num alia fuerit apud Columbae socios vita monachica atque in universa ecclesia et quid de monachorum vita ipse statuerit Columba.

Hoc tandem loco inveniemus nonnulla Scotorum propria; Scotorum dico, non unius Columbae, nam cum Columba confiteatur se suosque *cum suorum regulis manere seniorum* (ep. 1, p. 24 F), omnia, quae apud Columbam inveniuntur, similia fuisse in Hibernia neglectis Ebrardi verbis (p. 153 not. 64 cf. p. 147, not. 57) suspicandum est. Eorum quidem opinio, qui ut Ebrardus putant apud Scotos omnino vitam monachicam prorsus aliam fuisse atque alibi, numquam facilius refutari potest, quam hoc ipso loco, ubi de Columba agitur. Quod ut videamus, antea liceat quaerere, unde profecta sit vita monachica. Sed, ne in Aegyptum lectores deducam, timere opus non est. Nam vix in Aegyptorum cultu ac religione monachatus principia inveniri posse puto, ab ipsa potius fide christiana eaque non recte intellecta origo vitae monachicae repetenda est (cf. Harnack, *Das Mönchthum. — Eine kirchenhist. Vorlesung. 2. Aufl.* 1882. p. 8 sqq.). Quicunque enim detorquentes in sensum physicum,

---

Columba repetenda esse videtur. Attamen melius est testimoniis incertis, saltem dubiis non uti.

[1] In hanc enim sententiam verba illa *non minoris etc.* dicta esse manifestum est ex libro de poenitentiarum mensura. Itaque perperam suppleretur: *quam apud vestros magistros.*

ut ita dicam, ea, quae ethice dicta sunt ab apostolis de mundo et de carne, sibi persuaserunt *totum mundum in malo jacere* (1. Joh. 5, 19), iis, quia sperare non possunt fore, ut malum vincatur bono, paene nihil reliquum est nisi ut fugiant de mundo. Quis autem severius et austerius judicium fecit de mundo, quam Columba? Profecto, nescio an magis admirationem quam misericordiam habeant verba ejus elegantia et altitudine aeque eximia. Audias, quaeso, exordium quintae nostri Columbae instructionis a monachis saepissime rescriptae (cf. *Scherrer, Verzeichniss der Handschriften der Stiftsbibliothek zu St. Gallen.* 1875. p. 336), in qua ut in speculo cernitur, quale fuerit Columbae judicium de mundo et de vita: „*O tu vita*, inquit (instr. 5, Bibl. max. 12, p. 13) *quantos decepisti, quantos seduxisti, quantos excaecasti! Quae dum fugis, nihil es, dum videris umbra es, dum exaltaris fumus es, quae cotidie fugis et cotidie venis, veniendo fugis, quae fugiendo venis, dissimilis eventu, similis ortu, dissimilis luxu, similis fluxu, dulcis stultis, amara sapientibus.*“ Et alibi: „*qui te diligunt, decepti sunt, qui te credunt, seducti sunt, qui autem te negligunt ditati sunt et qui te fugiunt salvati sunt*“ (instr. 6, p. 14 C).

Nonne apparet Columbam ejusque socios disjunctiores fuisse a mundo quam monachorum plurimos (cf. ep. 2, p. 26 C, supra p. 100)? Nullas voluptates videtur mundus iis praebuisse. *Postpositis* igitur *phaleramentis mundi* (vit. Sal. 12, p. 426, 17, p. 428), *obliti temporalium* (Col. instr. 15, p. 20 D) *soli deo viventes ejusque gloriam intuentes* (vit. Wandreg. 7, p. 528) *mortificationi studebant, quae maxima pars regulae erat* (reg. Col. Bibl. max. XII, p. 5 D), *beatae illi mortificationi, quae filio dei facit esse participes* (vit. Wandreg. 11, p. 530). Tali modo *sequentes patres perfectos* (Col. ep. 2, p. 26 C) *et ambulantes sicut et Christus ambulavit, pauper et humilis* (Col. ep. 2, p. 25 C) *ad virtutum culmen apicemque sanctitatis* (vit. Sal. 12, p. 426) se posse pervenire et denique *pro damno vitae praesentis lucra vitae aeternae consecuturos* esse sperabant (vit. Burg. 8, p. 442).

Talia cogitantes crederes maluisse ut eremitas vitam solitarios agere, quam cum aliis vivere in coenobiis. Profecto non deerant in ecclesia Scotorum, qui certe menses vel annos nonnullos solitarii agerent (cf. supra p. 67 et 82) et ipsum Columbam saepissime in solitudines discessisse Jonas enarrat, quin etiam ipse Columba concessit eremitarum vitam perfectiorem esse quam coenobialem. Nam interrogavit Gregorium (ep. 5, p. 32 H), *quid faciendum esset de monachis illis, qui pro dei intuitu et vitae perfectioris desiderio contra vota venientes prima conversationis loca relinquerent et invitis abbatibus* (cf. supra p. 69) *fervore monachorum cogente aut laxarentur aut ad deserta fugerent.*

Perfectior ergo vita eremitarum, sed melior ac quidem disciplinae causa vita coenobialis videbatur esse Columbae. In coenobiis igitur monachi ejus vivebant votis impediti, quominus invitis abbatibus primum conversionis locum relinquerent. Et votorum quae erat vis? Irrita fieri poterant, nam, qui corrigendi non erant, eos non aliter atque Benedictus Cassinensis (reg. c. 28 Holsten, cod. reg. II, p. 35 — perperam aliter Ebrardus, p. 233, cf. 196 sq.) de fratrum cohorte removeri jussit, sed nisi in removendis vota rescindi non poterant. Nam si monachis licuisset sua sponte fratrum vel sororum societatem relinquere, — cur duae illae virgines, de quibus Jonas mentionem fecit in vita Burgundofarae (c. 15, p. 446), clam se subduxerunt?

In his adhuc nihil Scotorum proprium. Ne duplicia quidem monasteria Scotorum propria fuisse videntur. Invenimus ea in Britannia, inveniuntur etiam apud Columbae socios sed rariora, ut opinor, quam Ebrardus (p. 203 sqq.) et, qui in his fidem illi habuit, Loeningius (II, p. 430) videntur pro certo habere, nam ex iis monasteriis, quae a sociis vel amicis Columbae condita sunt, sola haec, nisi fallor, duplicia erant: monasterium Jorani montis (cf. Montalembert, les moines d'occident II, p. 597, Varin, mém. 2, p. 181), Faraemonasterium (Montal. p. 614, Varin l. c.), Habenda (Montal. p. 631), monasterium Dervense (Montal. p. 611, cf. Loening II, p. 431 not. 2). Propria vero Scotorum fuisse hujusmodi monasteria mihi persuadere non potui. Varini enim, qui (mém. 2, p. 165—204) primi jam hujus generis in Gallia monasterii, Pictavensis, medio saeculo sexto a Radegunde regina conditi, originem a Scotis repetendam esse censuit, argumenta doctiora quam simpliciora neque mihi neque, ut videtur, Loeningio (II, p. 430) de hac re persuadere potuerunt. Nam cum morem illum in oriente exstitisse constet, unde eum in Hiberniam et in Hispaniam (Varin, mém. 2, p. 170) transmeasse neque Varinus negavit, supervacaneum esse videtur duplicium in Gallia monasteriorum originem circuitione quadam a Scotis repetere. Praeterea, etsi ponamus Fridolinum, Scotum, revera Pictavium pervenisse, tamen sine dubio saeculi sexti temporibus Scotorum in Gallia auctoritas tanta non erat, ut morem prorsus novum et inauditum in Gallia inducerent eumque talem, cujus ipsa natura idoneam reprehensionis ansam ultro praeberet impugnaturis. Neque eadem erat apud Scotos instituendi monasteria duplicia ratio atque in Gallia. Apud Scotos enim una abbatissa et sororum et fratrum collegio praeerat (cf. supra p. 81), in Gallia priora hujusmodi monasteria et primum quidem monasterium Pictavense separatim administrata nisi locorum propinquitate copulata et in unum corpus conjuncta non erant, posteriorum nonnulla ut Dervense ita ab

abbatibus et abbatissis gubernabantur, ut abbas toti monasterio praeesset (cf. Loening II, p. 431 not. 2 et vit. Bercharii, 14 et 18 Mab. II, ann. 685, p. 840 et 842). Sed utcumque haec res se habet, potissimum est, quod monasteria duplicia saeculi VI, VII, VIII[1] temporibus passim reperiuntur, etiam apud Anglos (Rudolf, vit. Liobae 1. Mab. III, 2 ann. 772, p. 246 sq.).

Quid tandem Scotorum proprium? Frustra quaesivimus, quoad generatim atque universe diximus de vita monachorum, nam vita monachica, si elementis judicandum est, res est similis ubique et eadem semper. Interiora autem vivendi praecepta varia in ecclesia numquam non erant. — Multas ac varias in orientalibus ecclesiae partibus ante Columbam et Benedictum exstitisse regulas inter omnes constat neque minus notum est in occiduis ecclesiae regionibus monachos elementa disciplinae ab illis esse mutuatos, communi autem accuratiore instituendae vitae norma prorsus caruisse. Etsi enim in Gallia — ut taceam de aliis regionibus — constat fuisse monasteria, quorum monachi certa ac definita vivendi norma eaque Caesarii Arelatensis utebantur (Rettberg II, p. 678), etsi in nonnullis monasteriis *instituta de informatione coenobii* occurrunt (Arndt, Kleine Denkmäler aus der Merowingerzeit, p. 4 sq.) tamen major pars monasteriorum sub regulari disciplina non erat (cf. Hertel, p. 440 et vit. Wandregis. 9 et 10, p. 528, Jonas vit. Attal. 1, Mab. II, ann. 627, p. 123), ex abbatum potius voluntate pendebat, utrum monachi a vitae ratione non discederent an dissolute viverent, saepissime neque in abbatum potestate erat monachos in officiis continere. Contra in monasteriis a Columba ejusque sociis conditis optimam invenimus disciplinam. In hoc ergo simillimi sunt inter se Columba et Benedictus Cassinensis, quod uterque licentiae monachorum arctioris disciplinae frenos adhibere studuit. Quomodo inter se differant Columba et Benedictus, tum demum cognoscemus, si hujus regulam cum illius comparaverimus.

Sed quae est Columbae regula? Estne illa, quae exstat apud Flemingum p. 4—8 et in Bibliotheca maxima XII, p. 3—5, pia de monachorum officiis commentatio, in qua — omisso capite septimo quod teste jam ipsius capitis exordio *„de synaxi ergo“* aliunde receptum est (Schoell, p. 59, Loening II, p. 431 not. 4) neque invenitur in tribus codicibus (Fleming, annot. in c. VII, p. 15) — nil inest, quod regulae speciem praebeat, an conjungenda est cum ea altera illa *regula coenobialis* apud Flemingum p. 19—24 et Bibl. max XII, p. 6 sqq. et in Holstenii cod. regul. tom. II, p. 164 sqq. typis impressa, quae *de cotidianis poenitentiis monachorum* loquens tam graves poenas constituit, ut eam revera regulam eamque severissimam esse nemo negare possit? Ebrardus (p. 147 sqq.) rejecta hac regula

coenobiali, utpote adulterina, a malevolis Benedictinis monachis contumeliose composita, solam illam *regulam Columbani*, quippe quae evangelicae libertatis doctrinae plena sit (? cf. Loening II, p. 432) a Columba scriptam esse affirmat. Et certis auctoribus hoc comperisse videtur, alioquin omnes aliter sentientes tam acerbis facetiis non irrisisset parum diligentes eos appellans.

Importuna sane illa derisio. Quid si in ipsum recidat levitatis opprobrium? Ebrardo enim jam hoc suspiciosum esse visum est, quod regula illa coenobialis nisi in duobus codicibus non exstaret, uno tum, cum Bibl. max. XII. in lucem prodiit (i. e. 1707) vel rectius tum, cum Patritius Flemingus Collectanea sua composuit (i. e. 1667), monasterii Stae Afrae Augustani, altero Oxenhusano monasterii Sti Benedicti, et quod solus Oxenhusanus regulam illam Columbae attribueret, cum Augustanus eam exhiberet tanquam „*fratrum de Hibernia regulam*". Sed hanc de codicibus notitiam ex sola Bibliotheca maxima se mutuatum esse grata simplicitate confitetur (cf. Ebrard p. 149 not. 61), quod ne benevolentissimi quidem lectoris animum explere potest. Nam cum illae Bibliothecae maximae observationes praeviae transcriptae sint ex Flemingi Collectaneis, vituperandum est, sed non mirandum, quod Bibliotheca maxima tacuit de Holstenii regulae coenobialis nostrae editione, quae paucis annis ante Flemingi collectanea (anno 1661), sed plus quam quadraginta annis ante Bibl. max. in lucem prodierat. Profecto Ebrardus sola illa Bibliothecae maximae editione usus non habebat, quod Rettbergium virum „*diligentissimum in aliis*" accusaret, quod de „regula Columbani" et de „regula coenobiali", scriptis „toto coelo" inter se diversis, uno sermone disseruisset. Nam Rettbergium Holstenii editione usum esse, in qua regula coenobialis exstat tanquam decimum caput „regulae Columbani", Ebrardum fugit.

Illa vero Holstenii editio, cum exemplum regulae praebeat ita auctum, ut longe diversum sit a codicibus Augustano et Oxenhusano, ex iisdem vel similibus codicibus transcripta non est. Ergo, quod ipse Hertelius (p. 441) dicere omisit, tertius ille codex Holstenii (Coloniensis — cf. Holsten, praefatio p. IV) nobis occurrit, in quo regula coenobialis reperiatur, secundus, in quo Columbae attribuatur, isque vetustior fortasse utroque alio certe Augustano, nam etsi dijudicare non possum, num recte Holstenius codicem suum a Benedicto Anianensi conscriptum esse censuerit, tamen certe vetustior est Augustano, quem anno 1510 exaratum esse Flemingus declaravit in annotationibus, quas, quippe in Bibliotheca maxima non transscriptas, Ebrardus praetermisit — (cf. etiam de Holstenii exemplo ejusque aetate Wasserschleben, Bussordnungen p. 57). Denique

quartus codex numerandus est, adhuc ineditus, Sangallensis Nro. 915 saec. X vel XI, in quo teste Scherrero (Verzeichniss der Handschriften der Stiftsbibliothek von St. Gallen. 1875. p. 337) eadem nostra regula coenobialis invenitur ac quidem simillima breviori illi formae, quae ex codicibus Augustano et Oxenhusano primum a Flemingo deinde in Bibl. max. XII edita est (cf. Loening II, p. 433 not. 1).[1]

Quae cum ita sint, adversus Ebrardum (p. 149) dicendum est regulam illam coenobialem quatuor codicibus in his Sangallensi nobis traditam, bis Columbae attributam, in Scotorum monasterio Sangallensi *„regulam coenobialem patrum"*[2] inscriptam Columbae abjudicandam non esse, nisi gravissima obstant argumenta. Sed tantum abest, ut proferri possint argumenta commemoratione digna, quae regulam illam a Columba conscriptam non esse comprobent, ut luculentissimis testimoniis comprobare possimus Columbam regulae illius auctorem fuisse.

Primum enim nonnullos mores, qui conspicui videntur esse iis, qui regulam coenobialem legunt, constat in usu fuisse apud Scotos, in his quod cochlear signabant signo crucis, quod benedictionem dabant et ingredientes domos et egredientes, quod extra modum prodibant in cantandis psalmis et alia (cf. Fleming, p. 25, Hertel, p. 438 sq. et supra p. 70). At novum est et quod ii, qui illos mores neglexerunt, poenis afficiuntur iisque gravissimis — vapulare enim jussi sunt 12—50 *„percussionibus"* — et quod ipsa illa inanis psallendi ratio ita insumitur in poenam, ut tribus, quatuor, vel 24 psalmis cantandis poenitentiam agere monachi jubeantur. Sed neque hoc neque illud admirationi esse debet. An negari potest, illam psallendi rationem, qua Scoti in vigiliis utebantur (cf. Ebrard, p. 228 sqq.), etiam iis, qui culpa vacabant, haud dubie magis molestiae fuisse quam pietatis exercitationi? Neque, quin moris fuerit Scotorum verberibus animadvertere in eos qui inobedientes fuerant, dubitari potest, quamvis Ebrardus (Zeitschrift für histor. Theol. 1875, p. 504) sine ulla causa Hertelii argumenta tamquam stulta respuat, quod Hertelius, quae de pueris vapulantibus dicta sint in vita Walarici 32, Mab. II, ann. 627, p. 87, acceperit tam-

---

[1] Delegavi lectores ad illum Loeningii locum, ut sciant, cui debeam, quod codicis illius Sangallensis notitiam habeo, — non ut ipsi illi Loeningii annotationi fidem habeant. Nam multi ac mirabiles in illam annotationem irrepsere errores, quos, cum malim typothetam quam ipsum virum doctissimum negligentiae accusare, enumerare mihi pertaesum est.

[2] De hoc codice nunc etiam Ebrardus verba fecit (Bonifatius, p. 13), sed ita, ut etiam si possem, dubitarem pluribus ei repugnare.

quam dicta de fratribus. Nam licet levius sit — quod equidem non concedo — testimonium illud ex vita Walarici repetitum, tamen ipse Ebrardus non poterit non concedere monachum illum, qui Bercharium abbatem Altivillarensem et Dervensem interfecit (cf. supra p. 102), quia ille eum *ut moris erat feriendum decreverat* (vit. Berch. 19, Mab. II, p. 842), non jam puerum fuisse, sed virum, saltem juvenem. Quod si negare non licet, concedendum est moris fuisse in monasteriis secundum regulam Columbae institutis verberibus punire inobedientes, nam et Altivillarense (cf. Mabillon observ. praev. in vit. Berch. p. 831, 3) et Dervense monasterium (cf. Loening II, p. 442 not. 2) *secundum regulam SS. Benedicti et Columbani* condita erant.

His, quae singula exemplis comprobant, accedit testimonium, quod totam regulam nimis severam fuisse demonstrat. Narrat enim Jonas in vita Attalae, abbatis Bobiensis (c. 2 Mab. II, ann. 627, p. 123) nonnullos monachos Bobienses tumultum concitasse inter fratres dicentes *se nimii fervoris austeritatem ferre non posse et arduae disciplinae pondera portare non valere.* Nonne disertius haec dicta sunt, quam ut verbis (Ebrard p. 156) diluantur (cf. Hertel p. 436)?

Firmissimum denique argumentum Loeningius (II, p. 433) protulit regulam, quam Donatus, episcopus Vesontionensis, qui teste Jona (vit. Col. 22, Mab. II, p. 14) Waldeleno duci ejusque uxori liberis carentibus rogante Columba a deo erat donatus, Jussano monasterio a se et a matre sua condito indidit (Holsten-Brockie I, p. 377).[1] Ejus enim puellarum monasterii regulam teste Loeningio Donatus ex Caesarii, Benedicti, Columbae regulis ita composuit, ut majorem capitum partem a regula St. Benedicti mutuaretur, sed etiam ex Columbae regula nonnulla transscriberet partim ad verbum partem mutata pro puellarum monasterii usu. Id vero ipsum, quod proprium est regulae Columbae, crebriora illa verbera in poenas insumpta, minime omissa sunt a Donato. Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin regulae illius coenobialis auctor Columba fuerit. Quae utrum apud Holstenium interpolationibus aucta an in aliis codicibus mutilata sit, dijudicare nostra non interest. Nam sive hoc sive, quod equidem malim, illud affirmatur, justum de Columbae regula ejusque natura atque indole judicium fecerunt Rettbergius (II, p. 680 sqq.), Hertelius (p. 449 sqq.), Loeningius (II, p. 434 sq.), ad quos libros delegare mihi liceat accuratius quaerentem, ut ipsi pergere possimus ad ea, quae restant.

[1] Et in describendo libri loco et in ipsa re Loeningio confidere coactus sum, quia bibliotheca nostra Lipsiensis solam ipsius Holstenii editionem (Romae. 1661) possidet, non illam per Brockium auctam (Vindob. 1759).

Primum igitur, ne miremur, quod regula ista, in qua permulta nobis offensioni sunt, tantam in Gallia auctoritatem sibi comparavit, opus est non oblivisci, qualis fuerit ante Columbam monasteriorum in Gallia status (cf. supra p. 107). Illum considerantibus nobis mirum non videbitur, quod Columba fervore suo ac pietate sua etiam Gallos ad amplectendam vitam monachicam tam crebros incitavit, ut et ruri et in urbibus nova exsisterent monasteria (cf. vit. Sal. 7, Mab. II, ann. 655, p. 425). Quo factum est, ut regula Columbae non solum in nonnullis Germaniae monasteriis (Rettberg II, p. 678) tunc inveniretur, sed potius saeculi septimi temporibus praecipue prioribus ita vigeret, ut paene omnia monasteria, quae tunc in Gallia condita sunt, Columbae regulam observarent. Quorum monasteriorum multitudinem (Montalembert, les moines d'occident II, p. 565—637) enumerare nostra non refert, quia auctoritas Columbae nihilominus mox minuta est. Nam intra jam medium saeculum septimum in ipsa Gallia Sti Benedicti Cassinensis regula Columbae regulae exstitit aemula eaque haud dubie multo potior. Quamvis enim disciplina sua regulari Columba monasteriorum Gallicorum statum et mores mirum quantum emendaverit, tamen Benedicti regulae par esse non potuit. Manifestum hoc fit ex singulis, manifestius ex tota regulae utriusque natura. Ea enim est, quod aeque mirum est ac notum, vitae monachicae historia, ut monachi, quorum primi eremitarum vitam viventes omnino, quantum fieri potest, e mundo fugerant, paullatim redirent ad mundana negotia. Quanto inter se differunt St. Antonius et Ignatii Loyolae discipuli, quanto Orientalium monachi et Benedictini! Monasteria Orientalium nil erant nisi ascetarum coetus, monasteria monachorum Sti Benedicti sensim paullatimque facta sunt seminaria cultus atque humanitatis, quin etiam scholae laboris (cf. Harnack, das Mönchthum, p. 21 sqq., 31 sqq., 36 sqq.; Uhlhorn, die christliche Liebesthätigkeit in der alten Kirche. 1882. p. 344 sqq.). Quid? utrum his an illis similiores sunt Columbae monachi? Profecto orientalibus. Licet enim ut Hiienses (cf. supra p. 70) ita et Columbae Luxoviensis monachi variis corporis et ingenii laboribus operam dederint (cf. reg. Columb. c. 10. Bibl. max XII, p. 5), — laboraverunt, ne socordia ac desidia marcescerent, non vero eo consilio, ut aliquid boni perficerent, — nam nil quaerebant in hoc mundo. Alii erant ii Scotorum monachi, qui vitam agentes in monasteriis medio in populo constitutis animarum curam gerebant in regione sua (cf. supra p. 67), sed de illis nunc non agitur, nam ii, qui in Galliam et Germaniam venerunt, diversi erant ab illis, peregrinaturi eodem tempore de patria discesserant et de theatro, quod natura virtutibus eorum datum erat; solitarii vitam de-

gissent, nisi disciplinae causa iis placuisset in coenobiis vivere. Itaque eremitarum coetus erant monasteria eorum, nam *in desertis sedentes, nulli molesti, cum regulis seniorum manentes* eos, in quorum regione versabantur, adeo negligebant, ut nemini aditus pateret intra septa monasterii (Jonas, vit. Col. 33, p. 19). Minime igitur ecclesiae operam suam commodabant ad erudiendos populos, sed sua propria ratione ad vitam aeternam hominibus monstrabant viam. Peregrinaturi e patria decesserant, peregrini erant in Gallia et Germania. Unde etiam ii, qui e Gallis vel Germanis in illorum monasteriis eruditi postea episcoporum munera subierunt, peregrini redierunt in ipsorum patriam, peregrini non solum in mundo, peregrini in ipsa ecclesia, quippe qui utpote monachi austerioris observantiae *ab omnium saecularium more desciscerent* (Jonas, vit. Col. 33, p. 19). Monachi enim erant omnes, qui in illis Scotorum monasteriis eruditi sunt, nam ut in monasterio Hiiensi (Adamn. vit. Col. 1, 27, Acta SS. Boll. Junii 9, p. 207) ita in omnibus peregrinorum monasteriis nulli in numerum discipulorum recepti esse videntur nisi qui monachicum votum promiserant. Nequaquam igitur cunctorum populorum praeceptores fieri potuerunt monachi Sti Columbae, nam austerior et rigidior erat regula nec tamen satis accurata in definiendis monachorum laboribus nedum in constituendis laborum horis.

Qua de causa mirum non est, quod Columbae regula a Sti Benedicti regula sensim paullatimque summota est.[1] Cujus rei locupletissimi testes sunt plurima illa monasteria, in quibus haud ita multo post Columbae mortem cum Columbae regula conjuncta est Sti Benedicti regula. Cujus conjunctionis quae fuerit ratio, ex Donati regula cognoscere licet, in qua poenarum genera et severitas atque morum nonnulli congruunt cum regula Columbae, interior autem vitae instituendae norma repetita est ex regula Sti Benedicti; et quam crebra fuerint haec monasteria *secundum regulam SS. Benedicti et Columbani* instituta, permultae quae exstant tabulae testantur (cf. Loening II, p. 442 not. 2). In ipso monasterio Luxoviensi jam intra annum 631 regula Sti Benedicti cum Columbae regula conjuncta esse videtur (Loening II, p. 441; Montalembert, les moines d'occid. II, p. 572) neque alibi (Hertel, p. 453) regula Columbae nisi conjuncta cum Sti Benedicti amplius videtur viguisse, nam exeunte saec. VII etiam in Burgundis, a quibus profecta erat r[illegible] Columbae, Sti Benedicti regula percrebuit (Loening II, p. [illegible]

[1] Quae Ebrardus (p. 365 sqq.) de opressa regula Columbae sibi finxit, digna non sunt, quae pluribus diluantur, ut sponte apparebit ex iis, quae proferam.

Tali modo etiam id, quod Columbae et sociorum ejus maxime proprium erat, memoriae exemptum est. Quid tandem memoria custoditum est? An nulla posterioribus temporibus occurrunt vestigia Columbae? Nulla, quae cognosceres pressa a peregrini pede. Nam vidimus multa, quae Columbae et omnino Scotorum propria fuisse dicuntur, aut non inveniri apud eos aut propria eorum minime fuisse, nonnulla alia, quae propria fuerunt, mutato coelo et mutatis temporibus sensim esse exaequata. Licet ergo maxima fuerit Columbae apud Gallos auctoritas, licet monasteriorum, quibus cum Columba et sociis ejus necessitudo erat, discipuli creberrimi ascenderint in episcoporum gradum, — nihilosecius hanc ob rem Gallorum ecclesia ab unitate catholica nunquam discessit — nedum absurdum non est affirmare (Ebrard, p. 322) insulam Jonam saeculi septimi temporibus principatum quendam obtinuisse in ecclesia Gallorum. Nam, ut omittam, quod dubium est, annon Columbae, quippe monacho Benchorensi, quamdiu in Hibernia erat, ulla cum Hiiensibus necessitudo fuerit (cf. supra p. 55), — ecclesiae Gallicanae res Columba nisi circuitione quadam non curavit, quia a mundanis negotiis adeo abhorrebat, ut ne synodo quidem sua ipsius causa congregatae interesse vellet (cf. supra p. 92). Sed et Columba et socii ejus in desertis sedentes, nulli molesti, cum seniorum suorum regulis manebant neque ecclesiae Gallicanae ullam rationem habebant, nisi ita, ut eos, qui eadem, qua ipsi, mundi et vitae satietate capti, veluti aegroti in valetudinaria, in monasteria eorum confugiebant, consolarentur et per eos ecclesiae mores ita emendare studerent, ut quam plurimos ad vitam monachicam incitarent, saltem commoverent ad despiciendam hanc vitam, de qua Columba *non vita es*, inquit, *sed via* (instr. 5, Bibl. max. XII, p. 13).

Attamen Columba, cum esset vir strenuus, sincera pietate et sanctitate eximius, et cum permulta eo auctore in Gallia constituerentur monasteria, maximam in ecclesia Gallorum consecutus est auctoritatem. Hoc ipsum manifestum est ex confitendi ratione sensim paullatimque commutata. Singulorum enim peccatorum confessio postea in universae ecclesiae usum recepta, antiquitus in ecclesia moris non erat; neglectis potius levioribus peccatis, solum ea curabat ecclesia, quae publicae offensioni erant. Alius erat ecclesiae Scotorum mos. Ibi enim mos confitendi singula peccata non solum usitatus erat apud monachos (Col. reg. coen. c. 1. Bibl. max. 12, p. 6) sed etiam, ut supra (p. 65) jam vidimus et ut cognoscere licet ex libris poenitentialibus Vinniani et Columbae, in ecclesiae usum transierat. Qui Scotorum mos quomodo in universa ecclesia percrebuerit, quaerentibus non dubito cum Loeningio respondere,

8

originem illius moris repetendam esse a Columba, quippe qui morum integritate magnam apud Gallos sibi comparaverit auctoritatem (cf. Loening II, p. 472 sqq.). Nonne ipse narrat (ep. 5, p. 32 G) episcopos simoniae et fornicationis reos se ipsum consuluisse, utrum sine periculo munere fungi possent, necne? Profecto his perspicuum est, quanta fuerit Columbae auctoritas, tamen ne haec quidem res magni momenti est nobis, quia, qui fuerat Scotorum mos proprius, in universae ecclesiae usum receptus est.

Itaque, ut cum totius nostrae disputationis tum hujus extremae partis summam faciamus, non licet ita sentire de Scotis et de Columba Luxoviensi, ut res necessaria videatur controversia inter Scotos in Gallia et Germania versantes et Bonifatium, Romanorum pontificum legatum. Similitudo potius est Columbae cum Bonifatio, Scotis peregrinantibus cum Anglis. Nam uterque, et Columba et Bonifatius, sua ratione ecclesiae Gallicanae statum emendavit, et utrique, et Scoti et Angli, bene meruerunt de fide christiana a paganis Germaniae gentibus suscepta.

Non omnes enim Scoti peregrinantes sicut Columba consederunt medio in populo christiano, sed quod ipsi Columbae in animo fuerat (cf. ep. 3, p. 27 D supra p. 91), ut gentibus evangelium praedicaret, id ipsum St. Gallum et Kilianum peregisse constat. Eos in ipso praedicando Anglis simillimos non fuisse absurdum est putare. Attamen non omnino eadem ratione eos usos esse opinor. Nam cum pro certo constet, quod satis superque e prioribus apparet, Scotos, cum e patria decedebant, id potissimum spectasse, ut peregrinarentur et exsularent pro Christo, mihi persuadere non possum, eos aeque *sudoriose elaborasse in praedicatione evangelii* (Bonifatii ep. 66. Jaffé, Bibl. rer. Germ. III, p. 185) atque Anglos, qui eo ipso consilio in Germaniam veniebant, ut evangelium praedicarent. Sed cum haec mea sententia minime congruat cum iis, quae viri multo eruditiores atque docti senserunt et cum hoc ipso loco pluribus sententiam meam comprobare non possim, nisi timido animo pauca de hac re non dicam.

Permultos Scotos in Germania ante Bonifatium evangelium praedicasse vulgo putatur. At unde factum est, ut nomina eorum oblivione prorsus obruta sint? Nonne verisimile est, eos Scotos, quos ante Bonifatium in Germaniae partibus his vel illis versatos esse variis de causis suspicari[1] licet, magis pere-

[1] Pro certo vix quicquam constat, nam dubito, annon praeter St. Gallum et Kilianum et si placet Ratherium (Rettberg II, p. 269) ullus Scotus vel sine nomine nominari possit. — De Virgilio Juvavensi († 784) dicere ad rem non pertinet.

grinandi, quam praedicandi evangelii causa in Germaniam venisse? An dicas St. Gallum revera *sudoriose laborasse in praedicatione evangelii?* Atqui teste vita ejus, centum annis post ejus mortem conscripta (cf. Rettberg II, p. 40). Nec tamen ex illa ipsa vita non apparet, St. Gallum potius monachum peregrinum fuisse quam apostolum, et suspicandum est St. Gallum, Columbae discipulum, illi similiorem fuisse, quam vitae illius auctor tunc temporis jam scire potuit. Et Kilianus? Nil paene de eo constat.[1] Si vitae ejus (Mab. II, ann. 689, p. 992 c. 3 et 4) fides haberi posset, nobis putandum esset, eum Romam profectum ab episcopo Romano *licentiam praedicandi* petiise, sed fictum hoc esse fere omnes evangelici consentiunt. Nam ea ipsa re Scoti evangelium praedicantes ab Anglis diversi fuisse putantur, quod Romam adire omiserunt, antequam opus suum inciperent. Sed haud scio an de tota hac re aliter sentiendum sit. Equidem mihi persuasi etiam ea de causa de Scotis praedicaturis Romam venientibus memoriae nihil certi proditum esse, quia illi magis peregrinaturi quam praedicaturi in Germaniam veniebant. Quodsi Kilianus magis praedicandi quam peregrinandi studio commotus in Germaniam venerit, haud sciam an Romam profectus sit. Nam cum Columba Luxoviensis et ipse Romam adire cupierit et papis potestatem attribuerit *omnia ordinandi, bellum instituendi, duces excitandi . . . aciem instruendi* (ep. 4, cf. supra p. 97), nobis non licet dicere Scotos solitos esse Romam non proficisci, praesertim cum nesciamus, nonne Kilianus et alii in australi Hiberniae parte nati fuerint. Certo non habemus, quod putemus Bonifatium, si quos Scotos invenerit mediis in paganis versantes, eorum auxilio in praedicando evangelio uti non potuisse propter morum vel fidei diversitatem vel, quia episcopos Romanos ne dicam despicerent certe minoris aestimarent. Sed omnino de Scotis evangelium praedicantibus praeter ea, quae commemoravimus, pro certo nil constat. Neque potest dubitari, quin major pars Scotorum, quia mediis in paganis „in desertis sedere“ non poterant, tales regiones petierit, quae christianam fidem jam susceperant. Itaque nunc de iis dicendum est, qui sicut ipse Columba in regno Francorum manebant.

Qua in re ab ipso Columba cum Bonifatio comparando exordium capiamus. Utrumque ecclesiae Gallicanae statum emen-

---

[1] Cf. Wattenbach, Geschichtsquellen I, p. 103 not. 2 et Dümmler, Forschungen zur deutschen Geschichte VI, p. 116 sqq. Vetustissimum autem, quod exstat, de Kiliano testimonium utrumque fugit; invenitur enim Kiliani nomen in Kalendario Karoli Magni, quod annexum est clarissimo illi evangelio Godesscalci anno 781 conscripto, cf. Piper, Karls des Grossen Kalendarium und Ostertafel. — 1858. p. 26.

dass, supra jam diximus. In hoc simillimi erant, sed varia ratione uterque disciplinam emendare studuit (cf. Harttung, p. 27 not. 2). Nam Columba et socii ejus, quippe quibus amara fuerit haec vita (cf. supra p. 105 et 113), ecclesiae statum corrigere et emendare studebant, cum ad contemnendas res humanas homines invitabant, monachos tonsurabant, monasteria construebant, non, ut populum in iis erudirent, sed ut perfugium praeberent iis, qui ex pestilenti hujus mundi aëre secedere cupiebant. Bonifatius autem cum monachus erat tum episcopus et archiepiscopus. Eaque de causa duabus rebus, et instituenda vita monachica ac quidem secundum regulam Sti. Benedicti et hierarchico statu bene componendo ecclesiam corrigere et emendare studuit; et ipse monasteria constituens, seminaria educandi populi, sed idem episcopos consecrans et in parochias episcopales populum distribuens. Itaque cum et monachis et laicis curam adhiberet, non solum vitae monachicae, sed ecclesiae exstitit corrector.

Quarum rationum utra melior fuerit, exitus docuit. Nam brevi tempore factum est, ut Scoti, qui Columbae vestigia sequentes in continentem veniebant, bonae ecclesiae disciplinae non paullum periculi afferent, idque ea ipsa de causa, quod ut peregrini sive in desertis sedentes sive terram peragrantes legitimis necessitudinis vinculis cum ecclesia conjuncti non erant, nihilominus autem ministeria ecclesiastica nonnunquam administrabant.

Multi enim saeculi VIII et IX temporibus in Gallia et Germania occurrunt Scoti peregrinantes, qui episcoporum nomine appellabantur. Quorum, quamvis liceat putare nonnullos episcopalem dignitatem praeter jus usurpasse, tamen majorem partem re vera episcopos fuisse existimo. Nam supra (p. 64) jam vidimus nonnumquam apud Scotos peregrinandi causa episcopos a negotiis episcopalibus sese removisse.

Qui episcopi si in Gallia episcopalibus sedibus praesules facti essent, ecclesiasticae disciplinae nil damni attulissent. Sed quominus hoc fieret, ea ipsa res impedivit, quod peregrinandi causa, ut recederent e mundo, patriam reliquerant; neque exemplis adhuc comprobatum est unquam illud esse factum. Nam Harttungius cum multos in Gallia parochiales episcopos de natione Scotorum fuisse affirmat (p. 32 not.) alio auctore nisi Ebrardo non utitur, sed ille eo loco, ad quem Harttungius provocat (= Irosch. Missionskirche, p. 175 sq.) Culdeos vult intellegi eos, qui sive Galli sive Scoti erant Culdeorum ecclesiae in societate erant (cf. Ebrard, p. 18, not. 18 et p. 285), neque ipse omnes, quos nominat, natione Gallos fuisse infitias iret. Mummolenus quoque, Noviomensis († 664), quem *origine Scotum*

fuisse Eckhartus censuit (Francia orientalis I, p. 270), teste vita Audomari 7, Mab. II, ann. 667, p. 562 non in Hibernia sed in regione Constantiensi natus erat. Arbogastus denique et Florentius, Argentoratenses episcopi (Harttung, p. 26, sed vide illud *vielleicht* p. 32) nisi apud posterioris temporis scriptores (vid. Rettberg II, p. 63 sqq.) Scoti non nominantur, et quae sit posteriorum in hac re auctoritas apparet ex vitae Chrodegangi (saec. IX. Rettberg I, p. 493) hisce: *Bonifatium, qui et Winfridus dictus, ex Hibernia venientem* (Eckhart, Franc. orient. I, p. 920). Sed hanc rem ii dijudicent, qui omnia, quae exstant, saeculorum VI, VII, VIII testimonia funditus noverint; certo, si qui fuerunt episcopi parochiales de natione Scotorum, perpauci fuerunt.

Neque magnum fuisse opinor numerum eorum, qui vel abbatum munera subeuntes vel monachorum collegio accedentes in monasteriis stabiles sedes sibi delegerunt. Sed vel pauci ecclesiasticae disciplinae periculo erant, simulatque episcopali sua dignitate praeter jus utebantur. Non omnino enim impediebantur, quominus muneribus episcopalibus fungerentur. Nam ut supra jam commemoravimus (p. 65) nonnullis in Gallia monasteriis eorumque compluribus a Scotis constitutis ab ipsis episcopis parochialibus privilegiis permissum erat, ut ipsius monasterii episcopi ministeria episcopalia, quae in monasterio opus erant, administrarent. Hoc munere episcoporum monasterialium, cujus origo utrum a Scotis an a Gallis repetenda sit, adhuc hodie, ut diximus (supra p. 67), non satis exploratum est, certo temporibus saeculi VII et VIII et IX saepius in Gallia functi sunt Scoti peregrinantes (cf. Loening II, p. 445 not. 4, Harttung, p. 32—47). Tales episcopos omnino bonae ecclesiae disciplinae detrimento non esse non potuisse, Harttungio (p. 34, cf. supra 65) non concedam, sed quo minus compositus erat ante Bonifatium ecclesiae Gallorum status, eo magis episcopis illis subjiciebatur, ut privilegiis illis abutentes etiam extra monasteria ministeria episcopalia exhiberent, quod non sine detrimento ecclesiasticae disciplinae fieri potuisse liquet. Sed cum haud dubie pauci essent et certis sedibus habitarent in oculis cum omnium hominum tum ipsorum episcoporum, certo tolerabiles erant.

Permulti autem ii episcopi et presbyteri de natione Scotorum, qui more peregrinantium terras peragrantes modo in hoc modo in illo monasterio versabantur, in magnum periculum adducebant ecclesiasticam disciplinam. Quanquam enim nonnullis monasteriis licebat ad administranda ministeria episcopalia quemlibet accire episcopum (cf. Harttung p. 29. Loening II, p. 383 sq.), tamen, etiamsi peragendis hujusmodi ministeriis illi contenti

fuissent, haec tota res commoda non erat. Nam cum illi episcopi tum huc tum illuc pervenirent, fieri potuit, ut idem monasterium modo vel pluribus tectum praeberet, modo omnibus profectis ipsum parochiae episcopum ad peragenda sacra ministeria invitare coactum esset (Harttung p. 43). Plane vero non poterant ferri illi episcopi, simulatque — quod in perturbata ecclesia Gallorum facillime fieri potuit — extra terminos in privilegiis illis constitutos egressi episcopali sua dignitate utebantur. Accedebat, quod varii generis homines vagi, liberi et servi, vernaculi et peregrini, ut nullo negotio ad honores pervenirent, episcoporum peregrinantium speciem induebant (cf. Harttung p. 52).

Haec omnia ipse Columba si tum fuisset, vehementissime vituperasset. Tamen et ipse et omnes Scoti peregrinantes, ipsi summa laude digni, insontes non sunt, quippe qui omnes monachi fuerint, quibus in ipsa peregrinatione peregrinandi finis positus fuerit. Num mirum est, quod talium magis intererat monachicam vitam in laicos propagare, quam servare disciplinam ecclesiasticam?

Itaque negari non potest Bonifatium, cui cum peregrinantibus episcopis et presbyteris pugnas fuisse constat, quodammodo obstitisse Scotorum in continenti auctoritati. Qua in re vituperandus esset, si in omnes promiscue clericos vagantes graviter consuluisset; sed quod ministeria ecclesiastica a peregrinantibus peragi noluit, nisi ab iis, qui vel a synodali conventu vel ab episcopo quodam digni essent inventi, qui munere ecclesiastico fungerentur, quis est, qui crimini det Bonifatio? An erat aliud remedium nisi hoc unum, ut singuli aestimarentur, et pro sua quisque dignitate aut indignitate aut comprobaretur aut condemnaretur? Certo non erat. Nam cum Scotorum ecclesiae mores et credendi vivendique ratio a Romanorum nisi levioribus diversa non essent, Scoti pro suis quisque moribus prodesse potuerunt Bonifatio in praedicando evangelio elaboranti aut obesse. Ergo quales essent singuli, quaerendum erat.

Hac eadem ratione etiam magis opus erat in Britonibus, in quos idem Bonifatius, nisi ipse papa recentiorum more Britones nominans Scotos intellegi voluit, in Germania incidit (ep. Bonif. 37 Jaffé, Bibl. rer. Germ. III, p. 103). Nam etsi Britonum ecclesia a Romana minus dissentiebat quam Scotorum, tamen, quia Romani una cum Anglis adeo in Britonum odium subierant, ut Britones non solum cum Anglis sed etiam cum Romanis, ne dicam cum omnibus christianis romano-catholicis commercium habere nollent[1], Britones in Germania versantes

[1] In Bajuvaria ineunte saeculo octavo Corbiniauus, cum leviorem ob causam eidem mensae, cui Grimoaldus dux accubabat, assidere

Bonifatio non obesse non poterant, nisi odium illud gentile eodem modo abjecerant atque ii, qui in ipsorum Anglorum finibus habitabant (cf. supra p. 28). Eam ob causam etiam in Britonibus, quales singuli essent, quaerendum erat.

Itaque cum, prout singuli erant, Britones Bonifatio prodesse Scoti obesse potuerint, de Britonibus et Scotis, in quos Bonifatius incidit, in universum dici non potest, sed, cujus interest ex aequo judicare de Bonifatio, ei, quantum fieri potest, disserendum erit de singulis.[1]

---

recusasset, pro Britone (cf. supra p. 27) se gessisse putabatur (vit. Corb. auctore Aribone inedita cf. Riezler, Geschichte Baierns I, p. 101 not. 1, cf. p. 99 not. 1).

[1] Optaverit fortasse quispiam ut, cum constet saepius apparere, unde sint ecclesiae cujusdam primordia, ex sacrae scripturae verbis in Latinum translatis, rationem habuerim sacrae scripturae locorum a Britonum et Scotorum scriptoribus in libris suis transscriptorum, — sed de industria de hac re dicere omisi, quia parum lucri apportat. Nam summa cum diligentia Haddanus (H. and St. I, p. 170—198) omnes scripturae sacrae locos, qui in antiquis scriptoribus et in nonnullis codicibus Britonum et Scotorum inveniuntur, comparavit et cum Vulgata et cum variis Italae exemplis, neque inde fructum percepit, nisi quod lectoribus persuasit fuisse Italae exemplum Britonum et Scotorum proprium (cf. l. c. p. 170 not. 1).

Alio autem ad extremum degredienti liceat mihi conferre antiquae Scotorum ecclesiae historiam et varias de ea virorum doctorum sententias cum historia picturae minoris Hibernicae et cum sententiis, quas de illa viri docti tulerunt.

Constat enim inter omnes (cf. Lübke, Grundriss der Kunstgeschichte I, p. 277) veteres codices Hibernicos exornatos esse picturis minoribus dissimillimis iis, quae alibi inveniuntur. Nam non solum litterae grandes, „Initiales“ ut ajunt, et varia illa ornamenta, quibus librarii et illas veluti sertis redimierunt et singula folia marginaverunt, scripta potius quam picta esse videntur, sed ipsae, quae insertae sunt, hominum vel bestiarum imagines, sine ulla graphidos scientia delineatae, adeo calligraphiae potius quam picturae specimen praebent, ut solius symmetriae regulis vestium plicaturae conveniant, quin etiam ut vestes nonnumquam pannorum modo corpora redimiant, et singuli vel capitis vel barbae pili exeant in varii generis curvamina, convolvuli pampinis simillima (vid. fig. 254 apud Lübke l. c. p. 278).

Unde haec mirabilis pingendi vel potius scribendi ars? Nonnulli, ut Muenterus et alii ecclesiae, ita etiam artis Hibernicae originem ab oriente (ac quidem ex Aegypto) repetendam esse censuerunt (unum ex multis nomino Kellerum, *Bilder und Schriftzüge der irischen Manuscripte* in *Mittheilungen der antiquarischen Gesellschaft in Zürich. 7. Band. 1853.* p. 61 sqq., p. 74), alii, ut Ebrardus ecclesiam Scotorum tantum sui similem fuisse opinatus est, ita Scotos exemplis ad imitandum non propositis peculiarem suam artem sibi genuisse putant.

Quod utrumque, si verum esset, cum iis, quae supra de Scotorum ecclesia diximus, male congrueret. Eo majore gaudio affectus sum, cum cognoverim Antonium Springerum, virum mea laude doctrina sua majorem, in alia de Scotorum arte sententia esse, ac quidem tali, quae cum nostra de Scotorum ecclesia sententia maxime congruat.

De qua, cum ipse vir venerandus loquendi potestatem mihi concesserit, lectores edocere mihi liceat.

Sicut vidimus ecclesiam Scotorum ineunte saeculo quinto ab ecclesia catholica omnino diversam non fuisse, postea autem, cum remota a commercio cum aliis ecclesiae partibus et retinuisset, quae alibi mutabantur, et mutasset alia pauca pro sua ipsius natura, levioribus dissensisse, ita etiam ars Scotorum initio eadem fuisse videtur, quam aliae quoque gentes a Romanis didicerunt. Sed cum postea consuetudine intermissa exemplis et magistris carerent, filis suis et ipsi Scoti et ipsorum picturae involvebantur. Cui rei testimonio est, quod Hibernorum tabulae minores, quo antiquiores sunt, eo similiores iis, qui in aliis Occidentalium codicibus inveniuntur, quo recentiores, eo magis discrepant cum aliis. Nam vetustissima, quae exstat, tubula picta, beatae Mariae virginis imaginem praebens (in *the Book of Kells*, saec. VII — delineata in *The palaeographical society ed. Bond and Thompson* 1873 sqq. I, tab. 57; et varie picta in *Westwood, Palaeographia sacra pictoria* 1845, tab. 16) etiam quandam cum tabulis Romanis similitudinem habet, recentiores autem ut Sangallenses (divulgatae et delineatae a Kellero l. c.) et eae quae exstant in junioribus codicibus Hibernicis ut in *the Gospels of St. Chad* (circ. 700. Pal. Soc. tab. 21; Westwood tab. 12), *the Gospels of Mac Durnan* (saec. VIII Westwood tab. 13), *the Gospels of Mac Regol* (circ. 800. Pal. Soc. tab. 91; Westwood tab. 44) tantae sunt laudi calligrapho, ut nil nisi vituperatio relicta sit pictori, neque sit ulla cum aliis picturis illis similitudo.

Similes igitur sunt in ecclesia et in arte Scotorum varietates tempornm, quin etiam paene eaedem. Nam sicut in Nordanhymbria ecclesia Scotorum Romanam necessitudine attigit, ita in eadem Nordanhymbria Romanum pingendi genus cum Scotico est confusum, nam liber, qui dicitur Cuthberthi vel *the Gospels of Lindisfarne* litteras grandes praebet Scotorum scribendi ratione pictas, imagines autem evangelistarum, quae doceant, librario cum Romanis fuisse commercium (Pal. Soc. tab. 3; Westwood tab. 45).

Ex hac ergo artis Hibernicae historia et natura fructum capiamus. Floruerunt Scoti arte sua praeter multas alias gentes, quae artis prorsus rudes erant, floruerunt etiam bona ecclesiae condicione praeter ceteros per longum tempus. Nihilosecius utraque, et ars Scotorum et ecclesia, nil nisi medii aevi tempora redolet. Quod si negaremus de ecclesia, similiter erraremus atque de arte erravit Giraldus Cambrensis († ca. 1200), cum de pictis codicis cujusdam Hibernici tabulis: *Haec equidem,* inquit (Topographia Hibernica. Frankfurt. 1608. p. 730), *quanto frequentius et diligentius intueor semper quasi novis obstupeo semperque magis atque magis admiranda conspicio, nec Apelles ipse similia efficere posset, et manu non mortali efformatae ac depictae viderentur.*